


Marbury Hall



Arthur Hugh Smith Barry.

Case 12 Shelf 7

D Arch Whitehouse *
21 Melville Rd.
Edgbaston.

ΣΚΙΑΔΙΟΦΟΡΗΜΑ

SIVE

DE VMBELLAE GESTATIONE

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/paullimpaciaudic00paci

PAVLLI M. PACIAVDI

CLERICI REGVL. PRESBYTERI

HISTORICI ORDINIS HIEROSOLYMITANI

ΣΚΙΑΔΙΟΦΟΡΗΜΑ

SIVE

DE VMBELLAE GESTATIONE

COMMENTARIVS.



EX ECTYPIS MVSEI VICTORII.

ROMAE cIↃ. IↃ. CCLII.

EX TYPOGRAPHIA PALLADIS

EXCVDEBANT NICOLAVS ET MARCVS PALEARINI

EX PRAESIDVM PERMISSV.

VIVAT . DEO
QVI . LEGIT .

SINGVLORVM CAPITVM BREVIARIA.

ΠΡΟΛΗΨΙΣ. *Commentarii edendi conſilium. Allocutio ad Innicum Martinum Caracciolum. Geſta ab eo ſtrenue. Praeſtantia argumenti, & patritio operis.* Pag. I

CAP. I. *De Vmbellae geſtatione in ſacris Dionyſiacis. Pollucis, Pauſaniae, Heſychii, atque Athanaei de ea re teſtimonia expenduntur. Kunii interpretatio rejicitur. Pompa Alexandriae juſſu Philadelphi deducta.* VII

CAP. II. *Monumenta aliquot σκιαδιόφορησιν Baccho ſacram referentia. Sardonyx nunc primum evulgata. Pictura vaſis Tuſcanici perperam a Montſauconio explicata. Vetus Lapis* ΔΙΟΝΥΣΟΥ ΣΚΙΑΝΘΙ *reſtituitur.* XI

CAP. III. *Judaeos Helleniſtas in celebrando Feſto σκηνοπηγίας multa ab Ethnicorum Bacchanalibus flagitioſe adſciviſſe. Nec tamen omnino credendum Plutarcho, Judaeos ſe totos Idololatriae devoviſſe affirmanti. Narrantur ea, quae in Feſto Tabernaculi formam habuere Dionyſiorum. Nummus Agrippae ſenioris explicatus. Bacchicam σκιαδιοφόρησιν apud Hebraeos collabente Rep. vere obtinuiſſe.* XVIII

CAP. IV. *Qua ratione Vmbella deportaretur in Eleuſiniis Theſmophoriis, ac Panathenaeis religionis ergo. Ariſtophanis Scholiaſtes caſtigatus. Theſmophoria fuiſſe ἔργα νυκτέλια. Numiſma Juliae Domnae illuſtratus.* ΣΚΙΡΑ *apud Athenienſes in honorem Minervae Scirades. Vmbella in eo feſto quorſum elata. Cur illa albi coloris. Suidas parum ſibi conſtans in ejus deſcriptione.* XXIV

CAP. V. *Vmbellam nedum noſtra memoria, ſed ab ultimis uſque temporibus velut inſigne & indicium dignitatis habitam fuiſſe. Id vel maxime apud antiquiſſimos Perſarum Primores. Quid reliquiae Perſepoleos. Conradi Stiglizii ſententia de Vmbellis, Statutis ſigniſve Heroum adpoſitis. Jus deferendae Vmbellae a Senatu P. C. minime irro-*

irrogatum. Vmbella num tegumentum capitis Deſpotae, & Procerum Byzantinorum? Praetoribus juri dicundo an conceſſa, atque data? XXIX

CAP.VI. *Vmbellae in Theatrum penes Romanos advectae. Ex Campanorum lautitia morem profluxiſſe. Vſus Vmbraculorum in Deambulatione. Ovidii, Martialis, Claudiani, & Ariſtophanis carmina, quae eo adducuntur. Similiter in Peregrinationibus, ac Venatione. Sponii judicium de Mercurii Petaſo refellitur. Nummus* ΑΙΤΩΛΩΝ *quid referat? Servi Inquilini apud Graecos Vmbellae deferendae addicti.* XXXV

CAP.VII. *Vmbellarum uſus in Balneo Subdiali. Figurae, & imagines, quibus obducitur extima Etruſci Vaſis ſuperficies, partite explicantur. In antica ejuſdem facie Vmbella. De Flabellis, & Muſcariis opportuna digreſſio. Vas ipſum oenophorum, & potatorium fuiſſe. Num Vmbellae uſus ab antiquiſſima Etruſcorum gente ad Romanos dimanarit?* XL

CAP.VIII. *Antiqua Vmbellae forma. Virgis mobilibus contrahi, atque diſtendi. Teſtudinatam aliquando fuiſſe. Albericum, & Anacreontem perperam huc accerſiri. Mulierum capilli ſic conformati, ut Vmbellae vicem praeſtent. Sudaria, Lintea, Veſtes ad umbram faciendam arboribus alligata. Foliis Palmae bifidatis Vmbellas confici, ſed eae agreſtes. Elegantiores omni luxu, & ornatu. Locus Juvenalis ab interpretibus vexatus explicatur.* XLVII

CAP. IX. *De Chriſtiano Vmbellae uſu. Vmbella, qua Graecorum Presbyteri, & Diaconi utebantur, teſte Simeone Theſſalonicenſi. Apallarea in Templis Chriſtianorum ſuſpenſa. Vmbraculum a Sergio PP. in Baſilica Salvatoris appoſitum. Dono miſſum Pippino Regi a Paullo I. Item Alexandro III. & Federico I. Imperator. ab Anconitanis oblatum. Jaſpis Epiſcopum referens equo vectum ſervo Vmbellifero comitante dilucidatur. Summa BENEDICTI XIV. in antiquitatibus Chriſtianis cognitio, & mira accuratio. De Flabellorum uſu in Graeca ac Latina Liturgia perbrevis obſervatio.* LIV

AM-



SEXTARIVS FIGLIN · IN MVS · FELIC · MASTRILLI PATRIC · NOLANI ·

AMPLISSIMO. AC. NOBILISSIMO. VIRO

INNICO. CARACCIOLO

E. MARTINENSIVM. DVCIBVS

ARCHIEPISCOPO. CHALCEDONIAE

ROMANIQVE. PONTIFICIS. AD. VENETORVM
REMPVBLICAM, LEGATO

ΠΡΟΛΗΨΙΣ.

ETsi multa in litteratorum moribus atque inſtitutis per injuriam reprehendantur; illud tamen merito culpandum videtur, quum publicae utilitatis obtentu quidpiam edendi ſpem faciunt, ſed opus ita in dies protrahunt, ut diuturna promiſſi expectatione ferme jam diſpliceat necdum editus liber, & ſiniſtrae de eo diſſeminentur praeconceptae opiniones, atque ſententiae. Horum me numero accenſendum fortaſſe putabunt, ſimilique in culpa teneri arbitrabuntur, qui quarto ab hinc anno a Viro politiorum litterarum amantiſſimo A. F. Gorio acceperunt me ex eo uſque tempore

ani-

animum adjeciſſe huic lucubrationi conficiendae [a]; vel qui norunt eam quantocius evulgaturum me ipſum fuiſſe pollicitum [b]. Numquid inclareſcendi artificio haec me ſcripſiſſe ſuſpicionem injecero [c]? Fidem aliquando divini Numinis conceſſu, atque munere exſolvere aggredior; tardius quidem quam par erat, ſed duae potiſſimum cauſſae effecerunt, ut longam adeo interpoſuerim moram, quas nunc candidus ediſſeram. Opellam jamdiu ad umbilicum, quod ajunt, perduxeram, & figuras quibus exornatur aeri vel buxo incidendas curaveram. At ea tum ſubit cogitatio praeclarius me facturum; ſi ea omnia quae italice ſcripſeram latinis mandare litteris inſtituerem. Verum cunctanter levibuſque manibus operam dabam, eoquod nonniſi ſubciſiva, & ſecundaria tempora ad hanc verſionem perraro conferrem. Deinde cogitationem ex animo penitus abjeceram libellum ſolitarie edendi, ut in ampliori Veterum Monumentorum collectione illi locum darem. Quare tertius jam elabitur annus, ex quo omnem *σκιαδιολογίαν* voluntaria oblivione contriveram.

Sed memoria repetenti mihi beneficia tua INNICE AMPLISSIME, ac meditanti quo argumento in omnium oculis defigerem me Tibi & ſummis officiis, & praeſtanti tua liberalitate ſummopere eſſe devictum, Commentarium hunc e forulis prodire juſſi, eumque tuo nomini inſcribere deliberavi. Tanta profecto eſt tuorum in me meritorum magnitudo, quod ſi ad referendam gratiam inops ac omnino impar ſim, ad praedicandam certe atque habendam nihil praetermittam. Atque id in primis praeſtandum efficiendumque duxi hoc edito Syntagmate, ut ſi quid eſt in me ingenii, & doctrinae, quod ſentio quam ſit exiguum, id tibi dicarem; nihil enim praeter haec Minervalia ſuppetunt vires, quo obſequentiſſimam in Te voluntatem, quum apud animum tuum, tum apud ceteros teſtatam relinquam. Quod officii genus arbitror haud poſſe improbari; nam, ut auctor eſt graecus homo Libanius: qui beneficio affectus eſt, eum

a Gorius *Muſei Guarnaccii Monumenta illuſtrata Cap.* XVI. *pag.* 78. *Florentiae* 1744.

b *Diſſertazione ſopra una Statua di Mercurio* §. XII. *Napoli* 1747.

c Inter inclareſcendi artificia hoc recenſet Michael Lilientalius De *Machiavelliſmo litterario* §. 16, nimirum ſi quis dives promiſſis litterati orbis curioſitatem excitare geſtiat.

eum honore proſequatur oportet, a quo accepit; proſequitur autem ſi quod habet, tribuat. Poeta, inquit ille, hymnum modulatum, dicendi peritus elogium immodulata, ſolutaque oratione refert [a]. Porro dum tua beneficia mecum ipſe reputo, ſtatim ante oculos obverſatur pulcherrima temporis illius ſpecies & recordatio, quo Venetiis tanta benevolentia ac familiaritate, tantoque ſtudio me complexus es, ut nullum fere domicilium mihi fuerit jucundius aut deſiderabilius; nec ullo umquam tempore conſuetudinem vitae, qua tecum adeo oblectabar, ex animo deponam: ac ſi mihi licet hominis graviſſimi, & ornatiſſimi (cum quo ceteroquin nullo modo ſum comparandus,) verba uſurpare, in Te uno ſoſpitatorem illum nactus ſum, quem Antonius Gratianus in Cardinali Comendono fauſte proſpereque fuerat adeptus [b], qui nempe res omnes meas patrocinio ſuo tutaretur atque foveret.

At ſi Venetias nomino, ne dum Vrbem illam & ſitu, & deſcriptione aedificiorum nobilem florentiſſimamque appello, ſed & Rempb. optimis legibus conſtitutam, quae quum civibus abundet & fama meritorum, & pervagata apud omnes gloria, & rerum geſtarum magnitudine claris, nonniſi ſumma & ingentia facta in exteris admiratur. Miratur tamen illa in Te NOBILISSIME CARACCIOLE, morum gravitatem, integritatemque multis magniſque rebus ſpectatam: miratur ſeveritatem facilitati comitatique adſperſam; munificentiam in dignitate tuenda; ſtudium pietatis amplificandae; miraturque adhuc magnificam apparationem adventus tui in Vrbem, quem populus ſingulari hilaritate atque laetitia honeſtavit. Verum Senatus, quemadmodum ait Tullius, princeps ſalutis, mentiſque publicae, altius proſpiciens, tuam in negotiis gerundis, expediendiſque dexteritatem, diligentiam, prudentiam obſervavit, coluitque. Quamobrem graviſſimam controverſiam *de Limitibus Romanae, Venetaeque ditionis conſtituendis*, & temporis diuturnitate moleſtam, & finitimorum diſſenſionibus implicatam, nec ſummis conciliatoribus diremptam, tuo veluti judicio permiſit, & Te

d *Tom.* II. *Orat.* XXXII. *Edit. Morelli Pariſiis* 1606.

e *De ſcriptis Invita Minerva Tom. II. Florentiae* 1745. Studio opera diligentiaque doctiſſimi Hieron. Lagomarſinii.

a Sanctiſſimo Pontifice BENEDICTO XIV. finium regundorum arbitrum datum volens lubenſque ſuſcepit. Cujus muneris procuratione tam ſapienter defunctus es, ut Senatus in frequenti concione honorificum & in omne aevum duraturum tibi decreverit monumentum; ſcilicet Numiſma aureum maximi moduli cudi juſſit cum lemmate FINIBUS POSITIS. S. C. quod auſpicatiſſimam pactionem poſteritati deſignaret, & tui nominis celebritatem immortalitati commendaret [a]. Haec dum Venetiis a Te gerebantur, alii Romae praedicabant expeditiones illas, quas ſic complevisti, ut nemo paratior, vigilantior, aut compoſitior ad negotia perficienda acceſſiſſe videatur. Alteram nimirum ad Picentes ſecus Truentum, qua ſecuritatem, tranquillitatemque abs vectigalium fraudatoribus malis dolis ereptam, popularibus reſtituiſti: alteram in Provincia Patrimonii, finitimiſque regionibus, qua Xenodochia pueris puelliſque alendis addicta, novis excitatis aedificiis, auctis proventibus, legibus conſtitutis dedicaſti. Ceterum vitam ſanctiſſime & laudatiſſime tranſigere, partim difficillimis legationibus obeundis, partim religioni conſtabiliendae, avita, patria, domeſtica decora & ornamenta tua ſunt, Tibique majorum tuorum exemplis tradita. Patrui tui magni INNICI CARDINALIS Antiſtitis Averſani memoria, & recordatio adhuc in ore omnium praeclara. Qui vir! quam erga egentes liberalis! quam ſibi in omni vitae actione conſtans! quam bonarum in Eccleſiam partium [b]! Cujus veſtigia quum adeo ſtrenue ingreſſus ſis, nihil eſt tantum quod non Chriſtiana Reſpublica & praeſenti judicio, & reliqui temporis expectatione a Te perfici atque obtineri poſſe confidat.

Quae quum ita ſint, miraberis cur velim, Te maximis occupationibus diſtentum hujus libelli vacare lectioni, & graviſſimam, quae Tibi a Rom. Pont. impoſita eſt, perſonam tam levi

a Lectiſſimus atque ornatiſſimus Comes Ludovicus Flanginius Patritius Venetus, quem honoris & amicitiae cauſſa commemoro, totam hujus pactionis hiſtoriam recitat in pereruditis notis ad Poemation *Quireni Telpuſiaci de laudibus Venetiarum*; tum ſermone recenſet generis nobilitatem, virtuteſque animi, juſtitiam, pietatem, magnanimitatem, liberalitatemque Innici Caraccioli. *V. ad verſ.* 20. 27. 30. *Venetiis* 1750.

b *V. Compendio delle Virtù del Cardinale Innico Caraciolo del Cap. Michele Sagliocco Roma* 1738.

levi momento inclinari, perinde atque ad eam te exſtimulem, quae in viro gravi reprehendit Syneſius *ἐπὶ τοῖς οὐδενὸς ἀξίοις σπȣδάζειν in rebus nullius pretii ſtudium ponere*[a]. Equidem non ſum neſcius ſtudiorum genus hoc nonnullis, hiſque paullo aſperioribus hominibus exſuccum, & ad nullam partem utile videri: aſt Virum te eſſe ſcio & magnitudine ingenii praeditum & in liberaliſſimis, rectiſque doctrinis ſic verſatum, ut de hoc litterarum genere non adeo inique ſententiam feras, vel quovis ampliſſimo homine non digniſſimum cenſeas. Non enim quae fuerit Anchiſae nutrix, non patriam nomenque Archemoli quaero, vel quot Alceſtes vixerit annos: ſed in animo eſt ea ſcribendo perſequi, quae partem Graeciae feriatae planam faciant: monumenta reconditiora, atque in tenebris retruſa, proferant, aut ſaltem ad ſuas aetates revocent: quibus ritibus vixerint homines antiqui, quid ex his majores noſtri acceperint, doceant. Quis autem eſt, inquit M. Tullius, quem non moveat clariſſimis monumentis teſtata, conſignata antiquitas? Multa etiam mihi ſumo illuſtranda, quæ mores & inſtituta vitae Hebraeorum ac Chriſtianorum patefaciunt. Praeterea argumentum non ita tritum ac pervulgatum eſſe puto, ut curioſis oculis perſpici non poſſit. Multi ſiquidem de Pileo, de Caligis, de Toga, de Pallio, de Anulis, Fibulis, Armillis, deque Cingulis veterum diſputarunt; ac ea omnia, quibus hominum vita regitur, ac ſuſtentatur commentario aliquo illuſtrarunt: nemo unus, quod ſciam, ea, quae de VMBELLIS in antiquis Scriptoribus diſſociata atque diſperſa ſunt, copulavit atque collegit. Quantam vero cupiditatem hominibus injiciat novitas, non Te fugit, DOCTE CARACCIOLE. Quod ſi paucas adeo pagellas munuſculum levidenſe cenſebunt alii ad obſervantiam in Te meam teſtandam haud ſatis idoneum; commovet primo illud quod Callimachus Grammaticus apud Athenaeum: *τὸ μέγα Βιβλίον ἶσον ἔλεγεν ἐιναι τῷ μεγαλῳ κακῷ. Ingens volumen ingenti malo ſimile eſſe dixit*[b]. Vel muneris exiguitatem exſcuſabo eo effato, quo I. A. Flaminius in nuncupatoriis libellorum ſuorum perſaepe utebatur. Recitabat ille quod

de

a *Epiſt.* LXXII. *Edit. Petav. Paris* 1640. b *Dipnoſoph. lib.* III. *Cap.* I. *Edit. Caſauben.*

de Artaxerſe perhibet Plutarchus, Regem hunc potentiſſimum animum offerentis, non munus inſpicere ſolitum [a].

Quoniam vero inter ſcribendum, in eam quam Cicero vim ordinis & collocationis appellat, ſemper incumbo, & quamcumque ἀμεθόδιαν devito; diſputabo primum de Feſtis Graecorum, in quibus potiſſimum aderat Vmbella velut ſacra & requiſita ſupellex: quod vel maxime in his quae Bacco dedicata erant uſu veniſſe ex ipſis graecorum libris confirmabo. Occaſione horum dierum, qui Deorum immortalium feſti & ſollemnes cenſebantur, non nihil adjiciam de Feſto Tabernaculorum, in quo Liberi Patris caeremonias, & Vmbellae uſum Judaeos recentiores flagitioſe retinuiſſe docebo. Cereris deinde atque Minervae Sacra Eleuſinia, Theſmophoria, Panathenaea excutiam, propterea quod in his religionis cauſſa Vmbella deferretur. Porro in praeſentia Vmbella dignitatis inſigne cenſetur; ſed etiam apud Perſas, Romanos, Graecoſque obtinuiſſe, teſtibus evincam; quod paullo latius fundetur, nam Aulae Conſtantinopolitanae ritus aliquos recenſere praeclarum viſum eſt. Vt autem in Theatrum invecta ſit Vmbella, quo antea, ludos ſub dio ſpectaturi, omnes adveniebant, inſequens capitulum oſtendet. Verum quia praeter ſpectacula, deambulationem, venationemque diligebant veteres, qua ratione Solis aeſtum devitarent, recitabo: deinde Graecorum ſuperbiam & arrogantiam in geſtatione Vmbellae dicendo perſequar, & Servorum inquilinorum genus commemorabo, ex quo Ancillae Vmbelliferae apud latinos. In Balneo quum eſſent antiqui, Vmbella uſos fuiſſe docet Vas antiquum, cujus figuram nunc primum damus: in ejus deſcriptione aliquantum immorabimur, multaque rei domeſticae antiquae illuſtrandae opportuna ex eo evocabimus. Inquiram etiam num mos atque conſuetudo Vmbellae deferendae ſervata fuerit apud Etruſcos, in quorum vaſibus frequens ejus delineatio. Ac ne rerum partitione peccet diſputatio, ex qua materia, quave forma, figuraque conficerentur Vmbellae exponam, & quantopere lauti, ele-

c *Epiſtolarum lib.* II. *Ep.* XIV. *Cardinali Grimano*, *& lib.* III. *Epiſt.* XXI. *Franciſco Bentivolo Edit. Bonon.*

elegantes, in luxum effuſi eſſent Veteres huic etiam ſupellectili apparandae palam fiet. Poſtremo quum Chriſtiani non Ethnicorum exemplo perciti, ſed natura ipſa docente ac magiſtra, antiquorum populorum mores fuerint imitati, de privilegio Vmbellae deferendae Viris Eccleſiae primoribus irrogato, non pauca ſcribam, ac Gemmam antiquo artificio factam adjiciam, & cui nam tribuenda ſit imago in ea ſcalpta diligenter expendere non praetermittam. Equidem compertum habeo multa extare antiqui operis monumenta ad Vmbellae formam, atque uſum demonſtrandum aptiſſima, quae huic Commentario inſerere haud commodum duxi, ne quae jam prodita ſunt memoriae ac litteris, repeterem atque iterarem. Paucula potius ſeligenda & ſub adſpectum ſubjicienda cenſui, nec dum ab aliis in lucem extracta, vel quorum προτότυπα non ſemel fueram contemplatus. Cetera quae ediderunt Boiſſardus, Bellorius, Dempſterus, Montfauconius, Embremayer, ſuis tantum locis indicabo.

CAPVT PRIMVM

De Vmbellae geſtatione in ſacris Dionyſiacis. Pollucis, Pauſaniae, Heſychii, Atque Athenaei de ea re teſtimonia expenduntur. Kunii interpretatio rejicitur. Pompa Alexandriae juſſu Philadelphi deducta.

NON inſcite Reineſius ἀπροσδιόνυσα eſſe ſcribit quae de Dionyſio e veterum Theologumenis tradita habemus [a]. Illud tamen firmum & comprehenſum video ſtatas ſollemneſque fuiſſe caeremonias Libero Patri addictas & conſecratas, quae rato tempore ſumma religione perficiebantur. Ratum appello tempus feſtorum Dionyſiacorum; enim vero notum id atque teſtatum ex antiquis Kalendariis apud Romanos *liberalia*. XVI Kal. Apriles peragi, & *Bacchanalia* aliquando ſingulis menſibus. Graeci vero, ut ego opinor, Orgia ter celebrabant, nempe primum in agris menſe Poſideone, deinde menſe

a *Inſcript. Claſſe* I. *num.* CXXXIII.

ſe Lenaeone ; tum Elaphebolione . Id etiam moneo, & antedenuncio , nam ad rem pertinet , Orgia noctu plerumque peracta [a] , quod deinceps ob foediſſimae turpitudinis infamiam edicto cenſuit coercendum Poſtumius Conſul [b] ; atque in media Graecia lege perpetua ſuſtulit Diagondas Thebanus [c] . Sed dum Bacchi ſacra *Orgia* nomino , utor comuni vocabulo , non certo atque proprio ; nam ut eſt apud Servium , omnia apud graecos ſacra ſignificant , ſicut caeremoniae apud latinos [d] . Quae autem *Trieterica* appellabantur, ea puto fuiſſe pompae plena , quae , alternis annis , omni apparatu , ornatuque celebrabantur , & in quibus ludi ſumptuſiores , populi frequentia ac multitudo quammaxima . Interea quum ſtatutum ſacrificium Baccho fieret , ſumma in omni actione ſuperſtitio , ſummumque ſtudium , ne in vulgus profanum arcana diſſiparentur , atque manarent [e] . At vereor , ne nimis trita ac proletaria conſecrare videar , quamquam ita praefari multis de cauſſis neceſſarium duxerim ; quare id nunc mihi ſumo dicendum quod inſtat , nempe in multis Bacchi Feſtis Vmbellam geſtari conſueviſſe , non ad ſolis fervorem , atque flagrantiam diminuendam ; non ad coeli intemperiem devitandam , ſed religionis cauſſa ; idque teſtibus planum faciam locupletiſſimis , quos ex omni antiquitatis memoria excitabo . Horum itaque agmen ducit Pollux , non quidem omnium vetuſtiſſimus , ſed qui paucis multa complectitur : καὶ τὸ σκιάδιον δὲ ἔστιν ἐν χρήσει καὶ σκιαδοφόροι , καὶ σκιαδοφορεῖ . καὶ Σκιὰς ὑφ᾽ ᾗ ὁ Διόνυσος κάθηται . καὶ Σκιερὰ ἑορτή . *Sed umbraculum uſitatum eſt , ut umbregeruli , & umbraculum gerit , umbraque , ſub qua Bacchus reſidet , & umbratile Fe-*

a De propudioſis hiſce pervigiliis ſicut de reliquis Διονύσου Νυκτισίμου ritibus , copioſe & erudite hac noſtra aetate ſcripſere Alexander Panelius *de Ciſtophoris* §. IV. & V. &c. *Lugduni* 1734. Antonius Rivautella , & Joh Paullus Ricolvi *parte prima Marmorum Taurinenſium ibi* 1743. Laurentius Begerus *de Nummis Cretenſium Serpentiferis Coloniae Marchicae* 1702. &c.

b Senatus conſultum, quo anno V. C DLXVII. Bacchanalia ſublata ſunt , e veteri tabula aenea dederat Fabrettus *Inſcript. Domeſtic. cap.* VI. , ſed mendis purgatum , egregioque commentario illuſtratum Matthaeus Aegyptius , vir ſummo ingenio & ſcientiae copia . *Neapoli* 1729.

c Cicero *De legibus* II. XV. Meurſius lectionum Atticarum *lib.* III. *cap.* XXIII. reſtituendum cenſet *Pagondas Edit. Verburgii* .

d *In Aeneid.* IV. *Paris* 1660.

e Pauſanias *Corinthiaca* , ſeu lib. II. *cap.* 37. *Edit. Wechel* 1613. τὰ δὲ ἐς αὐτὴν Διονύσῳ δρώμενα ἐν νυκτὶ κατὰ ἔτος ἕκαστον οὐχ ὅσιον ἐς ἅπαντας ἦν μοι γράψαι . *Quae circa illam* (loquitur de Palude Alcyonia) *quot annis libero Patri nocturna ſacra fiunt , ea mihi nefas ſcribendo in vulgus efferre* .

Feſtum [a]. Quodnam autem fuerit umbratile hoc Feſtum docet Meurſius in Graecia Feriata v. ΣΚΙΕΡΙΑ, nempe quod Aleae Arcadiae oppido in honorem Bacchi celebrabatur, tum etiam de Populis Atticae v. ΣΚΙΡΟΝ. Producebatur eo die ſollemni indicata ſupplicatione, populo certatim confluente, ſacrificulis longo ordine incedentibus Liberi Patris ſimulacrum, pampineis umbratum tempora ramis, carrucae apparatiſſimae imponebatur; huicque inſidebat adoleſcentulus e Bacchantium numero, qui Vmbellam deferebat, majeſtatemque Numinis eo geſtu oſtenderet ac declararet: Meminit hujus Feſti Pauſanias in Arcadicis, ubi Aleam Argolici conventus participem deſcribit. ἔςι τȣ̃ Διονύσȣ ναὸς καὶ ἄγαλμα. τȣ́τῳ παρὰ ἔτος Σκιερίαν ἑορτὴν ἄγȣσι. Quae ſic cenſeo latine vertenda: *Eſt ibi delubrum ac ſimulacrum Bacchi, in cujus honorem quot annis Feſtum Vmbraculi agitant* [b]. Sane aberrat a Pauſaniae ſententia ac narratione Joachimus Kunius dum παρὰ ἔτος σκιερίαν ἑορτὴν ἄγȣσι ſic reddit: *Huic anniverſarios dies Feſtos agitant* [c], nec ſatis mirari queo cur id, quod rei caput erat, ſilentio praeterierit, nempe vocem σκιεριαν; nam praeterquamquod peccat ipſa verſio, ritus deportandae Vmbellae in Dionyſiacis ita proprius & conſtans maxime apud Graecos, ut inde feſti nomen deductum ſit; quod vel ipſi Lexicographi vident, atque animadvertunt. quare Heſychius v. Σκιὰς in hunc modum interpretatur. Σκιὰς, ἡ ἀναδενδρὰς, καὶ σκηνὴ ὀροφομένη, καὶ τὸ θολῶδες σκιάδιον ἐν ᾧ ὁ Διόνυσος κάθηται. *Sciàs: vitis arbuſtiva, & Tentorium concameratum, & Vmbella Faſtigiata, ſub qua Bacchus conſidet* [d]. Eumdem profecto morem qui apud Aleae oppidanos viguit, puto retinuiſſe Eleutherenſes, qui Atticam & Boeotiam olim dirimebant. Aedem Libero Patri dedicatam ſignumque ejus habebant, hocque, teſte eodem Pauſania, agmine compoſito deducebant, utque reor, Vmbella tectum, opertumque, quod in re non dubia iterum adnotare ille putavit non neceſſarium. καὶ ναὸς οὐ

B μέγας

a *Lib.* VII. *Cap.* XXXIII. *Edit. Johan Henrici Lederlini Amſtelodami* 1706.

b *Arcadica ſive liber* VIII. *cap.* XIII.

c Pauſaniam edidit *Lipſiæ* 1696.

d *Lexicon. cum Not. Varior. Lugdun. Batav.* 1668. Nota indiligentiam virorum ceteroqui doctorum qui Heſychio edendo operam impenderunt: omnes ad unum ὠροφομένη ſcripſerunt pro ὀροφομένη.

μέγας ἐστιν, ἐς ὅν τοῦ Διονύσου τοῦ Ἐλευθερέως τὸ ἄγαλμα, ἀνὰ πᾶν ἔτος κομίζουσιν ἐν τεταγμέναις ἡμέραις. Eſt & Bacchi Liberatoris Fanum, non ſane ingens, in quod ſignum ipſius ſingulis annis, ſtatis diebus deportant [a].

At quo magis res perſpecta atque explorata ſit, diſertiſſimum Athenaei teſtimonium recitabo ex eo libro, quo univerſam Bacchi pompam Vmbellaeque uſum enarravit. Poſtquam igitur deſcripſit Alexandriam maxima celebritate omnis generis hominum florentem, populumque profuſa hilaritate dies feſtos agitantem, quos in Liberi Patris honorem indixerat Philadelphus; poſtquam oculis quaſi ſubjecit Hierophantas vel Phallos, vel myſticam Vannum geſtantes; acclamationes ad tibiam fundentes, aut inania cymbala, & aerea nablia collidentes: hinc Maenades hederigeras capita retrorſum vi jacientes, illinc Baſſarides fluxis paſſiſque crinibus thyrſum quatientes, magnificentiſſimum Dionyſii currum ſic exprimit: *μετὰ τούτους τετράκυκλος πηχῶν τεσσαρεσκαίδεκα, ὀκτὼ δὲ τὸ πλάτος ἤγετο ὑπὸ ἀνδρῶν ὀγδοήκοντα καὶ ἑκατὸν. ἐπὶ δὲ ταύτης ἐπῆν ἄγαλμα Διονυσίου δεκάπηχυ, σπένδον ἐκ καρχησίου χρυσοῦ, χιτῶνα πορφυροῦν ἔχον διάπεζον, καὶ ἐπ' αὐτοῦ κροκωτὸν διαφανῆ. περιεβέβλητο δὲ ἱμάτιον πορφυροῦν χρυσοποίκιλον .... εἶχε δε σκιάδα. Poſt hos quatuor rotis currus agebatur a centum & octoginta viris, longus cubitos quatuordecim, latus octo, in quo ſtabat ſimulacrum Bacchi, cubitorum decem, ex auro carcheſio, Libantis cum tunica purpurea ad talos demiſſa, ac ſuper ipſa Crocota pellucida: extima autem veſtis circumjecta purpurea fuit auro variegata ...... Vmbella* (eam ſtatuam) *operiebat* [b]. Ut vero jam nulla dubitatio ſit ſive ſcriptorum verba, ſive vetuſtatis reliquias ſpectare velimus, quin judicemus Vmbellam in ſacris Dionyſiacis adlatam conſtanter fuiſſe, praeſtat recenſere monumenta, quae ad id confirmandum videntur aptiſſima.

CA-

a *Attica ſive liber* I. *cap.* XXIX.

b *Dipnoſophiſt. lib.* V. *cap.* IV. Hanc ſtatuam aurei tripodes, aurei crateres, aureaeque coronae circumambiebant. Inſidebat eidem currui Statua Nyſae, quae eſt Indiae urbs a Baccho condita.

CAPVT SECVNDVM.

Monumenta aliquot σκιαδιοφόρησιν Baccho ſacram referentia. Sardonyx nunc primum evulgata. Pictura Vaſis Tuſcanici perperam a Montfauconio explicata. Vetus Lapis ΔΙΟΝΥΣΟΥ ΣΚΙΑΝΘΙ *reſtituitur.*

EA maxime animis affigi noſtris ajebat apud Tullium Simonides, quae eſſent a ſenſu tradita atque impreſſa. Itaque ut quod jam ſcriptorum teſtimonio percepimus, etiam oculorum commendatione menti tradatur, ſub aſpectum ponam vetera monumenta, quae *σκιαδιοφόρησιν* Libero Patri ſacram exhibent contuendam. Primum eſt anaglyphum bene longum, quod ad zophorum praeclariſſimi alicujus aedificii exornandum quondam puto adjectum, editum a Boiſſardo [a], recuſum deinde a Montfauconio [b], atque a Gronovio [c]. Alterum eſt gemma operis exquiſiti & minime vulgaris, cujus exemplar atque effigies exſtat in Collectione Embermayerii ab erudito Baiero notis perpetuis illuſtrata [d]. In hac potiſſimum Dionyſius curru vectus, temulentus, vinoque confectus, demittens caput, obliquans cervicem viſitur, cui adſtat Ariadne, iiſque advolat. Cupido duplex: alter Flabello langueſcentem Jacchum veluti refrigerat, alter Vmbella defendit. In anaglyptis vero marito quidem aſſidet uxor, ſed Vmbella, fulcro quodam, currus balauſtio infixa videtur. Hiſce monumentis tertium adjicimus, quod ad Liberum Patrem pertinere nulli dubitamus; eſtque gemma tota ſui ſpecie exſtans, quae nunc primum in lucem prodit ex Muſeo V. Cl. Philippi de Stoſch, a quo humaniſſime accepimus.

 Vti-

a *Admiranda Mon. Urbis Romae Num.* xxxxi.

b *Antiq. Expliqu. Tom.* II. *Part.* 1. *Tab.* LXXXVI.

c *Antiq. Graec. Tom.* 1.

d *Theſaurus Gemmarum Tab.* XIII. *Norimbergae* 1720.



Vtinam pars fracta hujus Sardonichis ſupereſſet , totumque σχηματισμὸν perſonarum exhiberet ! ſed ex puellorum geſtu Flabellum , Vmbellamque deferentium facile conjectabit quiſquis artificem Bacchum caelaviſſe venas inflatum nectare dulci atque jacentem ; nam ſi haec noſtra Sardonix cum gemma Embermajeriana comparetur , coelaturae delineatio ita perſimilis , ut eodem utramque ſpectare mihi facile perſuadeam . Accedit quod nulli Deorum , niſi Dionyſio , Vmbellam adpoſitam hucuſque praeſetulerint vetera monumenta . Erunt fortaſſe qui mirentur adpoſitum hic Genium alterum Lyram pulſantem , vel carmina canentem , quod Baccho extraneum , atque incongruens illis videbitur . Sed multis argumentis , eiſdemque hiſtoriae conſentaneis permotus ſcalptor hocce ſymbolum potuit adjicere . Apollini quidem Lyra dicata , at quae huic Numini data ,

data, Baccho aliquando communia. Quid ipſius ſimulacrum, Lyſippi opus, in Helicone poſitum, quemadmodum a Pauſania memoriae proditum eſt[a]? Non ne Pierius ille *δικόρυφος* mons, in quo Apollo conſidebat, etiam Baccho ſacer habebatur? ita plane Euripides Iphigenia in Tauris.

Βακχεύουσαν Διονύσῳ
Παρνάσιον κορυφὰν
Conſecratum Baccho
Parnaſſium cacumen.

Qui item *in Lycimnio Apollinem, Liberumque unum eumdemque Deum eſſe ſignificari ſcribit*[b]. Nec id naturae ipſius alienum, quum ipſe Bromius Vates, Vatumque praeſes crederetur. Aeſchylus ſane apud Pauſaniam[c] ſecundo Bacchi auſpicio Tragoediis ſcribendis animum appuliſſe faſſus eſt. Numiſma inſuper exſtat Familiae TITIAE, quod interpretationi huic meae firmamentum adjungit. Praeſefert barbatum Bacchi caput, dependente capillorum cirro, & diademate alato decorum. Vorſum, Pegaſus poſterioribus inſiſtens pedibus ad volatum ſe erigens, cum lemmate *Quintus* TITI*us*. *Omnes in eo conveniunt antiquarii* (inquit Havercampus[d]) *ut poetae alicujus inſignis cui Titio nomen fuerit, memoriam hic celebrari credant*. Vrſinus atque Begerus ad Titium illum Lyrica, & Tragica poeſi clarum, de quo Horatius Epiſtolarum *lib.* I. *Epiſt.* III., pertinere ſunt arbitrati. Havercampus vero nummum cuſum exiſtimat in honorem Caii Titii, quem ſtudebant imitari L. Afranius, quemque laudibus effert Cicero in Bruto *cap.* XLV. Vtcumque res ſe habeat, Bacchus cum Pegaſo, nempe Muſarum ſymbolo, merito jungitur, quod Deus hic poeticis certaminibus maxime praeſideret. In noſtra hac Gemma, Lyram exſcalpſit eruditus caelator, quae muſis aptiſſime tribui ſolet. Haec ſcribenti mentem ſubit Graecum excellentis operis anaglyphum; quod Genuae eſt in Muſeo PP. Scholarum Piarum, de quo multa jam inde ab anno MDCCXLII. mihi perſcripſerat Cl. P. Petrus M. de Ferrariis. Exhibet Bacchum *Muſicum*, ſive Μελπόμενον, quem coluiſſe Acharnenſes tradit

a *Eliacorum* II. *ſive lib.* VI.

b *Macrobius Saturnal. lib.* I. *Cap.* XVIII. *Edit. Gronovii.*

c *In Atticis ſive lib.* I.

d *In Theſaur. Morelliano Tom.* II. *Amſtelod.* 1734.

tradit idem Pauſanias [a]. Rupi inſidet Bacchus, laeva Diotae incumbens, dextramque velut cantus modulator attollit; ante illum Nympha Cithara ſonans; pone hanc Faunus imberbis canens; hinc Faunus alter tibiis paribus ludens, illinc Nympha alia ſedens, ſub qua muſica quaedam proſtant inſtrumenta. Eximium hoc, ſingulare, nec adhuc, quod ſciam, editum marmor, pene dixerim, prae oculis habuiſſe Horatium dum ea fudit carmina:

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem, credite poſteri,
Nymphaſque diſcentes, & aures
Capripedum Satyrorum acutas [b].

Quae omnia dum animo colligo, rationem luce, & palam me reddidiſſe puto, cur inter Liberi Patris inſignia Lyra recenſeatur, & quam congruenter in Sardonyche Stoſchiana Vmbellae copuletur; ſcilicet, ut in omnium oculis poſitum eſſet; Dionyſium Muſica, & Poeſi delectari.

Supereſt vas fictile Muſei Gualterii aquilo, luteoque colore pictum, Vmbellam repraeſentans. Hoc Dempſterus protulit *Etruria Regali* [c]; at Vir ille doctiſſimus nil niſi *Tibiarum uſum* apud Etruſcos in ludis & funeribus duxit perpendendum in hac pictura. Montfauconius etiam ſuae collectioni cenſuit addendum [d]; ſed dum ab antica poſticam partem dividit atque ſejungit, ut mihi quidem videtur, falſum de eo ſchemate tulit judicium; in ea namque ſum ſententia univerſam picturam ad Bacchum omnino pertinere, ac me deprehendiſſe confido quo tota res ſpectet. Recitabo primum Montfauconii verba, quibus vas ipſum deſcribitur, opinionem deinde meam aperiam, ac confirmabo. *Prima vaſis facies*, inquit ille, *Bacchum cum ſua turma exhibet. Bacchans vir agmen ducit facem geſtans. Bacchus ipſe poſtea iter carpit Thyrſum tenens, & pallium geſtans in poſteriora rejectum, quo nuda non operiantur. Bacchantem ille mulierem tibia ludentem reſpicit. Poſtea accedit Bacchans ſenex forteque Silenus, qui diſcum tenet ſive lancem. In altera vaſis facie longe aliud*

a *In Attic.* b *Carminum lib.* II. *Ode* XIX. *Ad uſum Delphin.* c *Lib.* III. *cap.* LXVI. *pag.* 383. d *Supplement. Tom.* III. *Tab.* XXXVII.

aliud ſpectaculum cernimus. Statim tres viſuntur mulieres, quarum duae ſedent, altera ſtat. Ex illis una Vmbellam geſtat hodiernis Vmbellis ſimilem. Hinc cernitur columna, cui inſiſtit Deus quiſpiam, ſive Dea, quam facile non agnoveritis. Id itaque primo arripio ad reprehendendum quod in altera vaſis facie ſpectaculum a prima longe diſſimile cerni affirmet, quum ibi mirabilis quaedam continuatio serieſque rerum exiſtat, ut alia ex alia nexa, & omnes inter ſe aptae, colligataeque videantur. Qui chorum ducit, facem utique geſtat manuque attollit, ſed qui illum inſequitur Bacchans eſt non Bacchus ipſe; atque hic Bacchantem, non tibia, ſed tibiis paribus ludentem reſpicit; poſtremo non Silenus diſcum aut lancem tenens, ſed Bacchans alter Tympanum efferens. Atque hi omnes feſtum agitant, quod Græci ΛΑΜΠΤΗΡΙΑΝ dixerunt. Celebrabant potiſſimum Pellenſes in Achaja in honorem Bacchi *τοῦ λαμπτῆρος* faces in templum noctu inferentes & vini crateres paſſim per Vrbem diſponentes. De eo Pauſanias *τούτῳ καὶ λαμπτηρίαν ἑορτὴν ἄγουσι καὶ δᾷδας τε ἐς τὸ ἱερὸν κομίζουσιν ἐν νυκτί. Huic* (i. e. Baccho) *etiam feſtum celebrant Lampteriam, & tum faces in Templum noctu ferunt* [a]. Quae in altera vaſis facie viſuntur minime ſunt diſſocianda, tum quia mos fuerit pictorum totam vaſorum ſuperficiem rebus in orbem obducere; quae ad unum referrentur, tum quia Vmbella Baccho maxime conveniat. Itaque, ut opinio mea fert, Mulieres quae adſtant, huic pompae interfuerunt, vel eam ſpectaturae juxta columellam, cui inſidet Bacchi ſignum, convenerunt. Altera ipſarum geſtat Vmbellam, & vel hac uſae ſunt in deportatione ſimulacri, vel eam pictor adjecit, ut ad Dionyſium univerſum ſpectaculum pertinere intelligeremus. Neque omnino alienum a pompa Dionyſiaca, in qua plerumque immoderata libertas, intolerandaque licentia, quod hic mulieres veſtibus ſuis modeſtiſſimos praeſeferant mores; exemplum petam ex Vaſe Bacchico Muſei Kempiani [b], ubi mulier pudice, & elegantiſſime veſtita conſpicitur. Quod quum ita ſit, veteres & merito, & jure Vmbellam religionis

cauſſa

a *In Achaicis ſive lib.* VIII. b *Monumenta Vetuſtatis Kempiana pag.* 124. *Londini* 1720.

cauſſa in ſacris Liberi Patris detulerunt, quam a majoribus ſuis acceperant Bacchum ipſum deportaſſe [a].

Nec vero praetereundum arbitror Vmbellae geſtamen tam praecipuum, tamque proprium Bacchi fuiſſe, ut ex eo nomen etiam ſortitus ſit. Satis mihi idoneum teſtimonium vetus lapis a Reineſio [b], & abs Cl. A. F. Gorio typis traditus [c]. Eſt autem ejuſmodi.

ΔΙΟΝΥΣΟΙ
ΣΚΙΑΝΘΙ
ΚΑΤΑ ΠΡΟΣΤΑΓΜΑ
ΜΑΡΚΟΣ ΠΙΝΑΡΙΟΣ
ΠΡΟΚΛΟΣ ΚΑΙ
ΑΡΙΣΤΟΒΟΛΟΙΣ
ΑΡΙΣΤΟΒΟΛΟΥ.

Vetuſtiſſimum hoc Epigramma ſingulari Diſſertatione explicare adorſus eſt Franciſcus Comes Montanus Piſaurenſis [d], deinde ſummo ingenio, exquiſitaque doctrina illuſtravit A. M. Salvinius,

a Permirum mihi eſt Cl. Bonarrotium unum omnium graviſſimum ac doctiſſimum virum, dum veterem caelaturam, ſeu ut vocant, *Cameum* ex vitro ſeu potius encauſto fuſe interpretatur, (*Medaglioni &c. Trionfo di Bacco pag.* 437.) nihil de Vmbella, quæ in ea viſitur dixiſſe, imo nec a pictore effingendam curaſſe. Saepe & multum *Cameum* contemplati ſumus in Cimeliarchio Carpineo Bibliothecae Vaticanae contiguo, ac duo corrigenda cenſemus. Primo, ut ajebam, quod Vmbellam in diagrammate praetermiſerit: pateſcit ea apertiſſime in archetypo, fulcroque ſubſtentatur quod Faunus manu geſtat; fulcrum quidem inferne cuſpidatum eſt; ut in terram, ſi opus fuerit, Vmbella defigatur. Extima autem Vmbellae ſuperficies, ornatus ergo, ſquamoſa. Alterum eſt quod in Bonarrotii explicatione nonnulli putant emendandum. Exiſtimat ille in *Cameo* non Bacchum, ſed liberam temulentam decumbere, aſpectus enim, forma, veſtitus mulierem plane demonſtrant. At quid ſi ſcalptor *Bacchum Muliebrem* effingendum cogitatione ac mente conſtituerit? Nonnus Panopolita, qui Dionyſiaca omnia ſcribendo percenſuit lib. XIV. *edit.* Wechel, 1610. de eo ſic cecinit.

Πῆ δὲ γυναικείην φορέων ψευδήμονα μορφὴν.
Saepe videbatur vultu fallente puella.

Eſt etiam ſplendidum de ea re teſtimonium apud Theodoritum *Hiſtor. Eccl. lib.* III. *cap.* VII., ubi de licentia quam Ethnici a Juliano nacti fuerant adverſus Chriſtianos ἐν Ἐμέσῃ δὲ ὁμόρῳ πόλει Διονύσῳ τῷ γύνιδι τὴν νεόδμητον ἀφιέρωσαν ἐκκλησίαν τὸ καταγέλαστον καὶ ἀνδρόγυνον ἐν αὐτῇ ἱδρύσαντες ἄγαλμα. *Emeſae, quae eſt urbs contermina, Eccleſiam, quae recens aedificata fuerat Baccho Gunidi* (muliebri) *conſecrarunt; ſimulacro ejus ridiculo & androgyno* (maſculo-femineo) *in eo collocato.* Atque id unum velim animadvertant, qui quum in Bacchicis antiquitatibus ſpeciem aliquam muliebrem conſpiciunt, ſtatim de Baccha cogitant, & Dionyſium expellunt.

b *Reineſius Claſſe* I. *Num.* CXXXIII.

c *Inſcript. Antiq. Florentiæ Tom.* I. *num.* I.

d *Giornale d' Italia Tom.* XXXII.

vinius [a], quorum diverſa judicia nunc expendere oportebit. Montanus legendum putat ΣΚΙΑΝΘΙΟΥ, vel ΣΚΙΑΝΘΙΕΩΣ, vel etiam ΣΚΙΑΝΘΙΔΟΥ, atque τὸ ἐθνικὸν eſſe cenſet vocis Σκίας, quod eſt Arcadiae oppidum umbroſo, & opaco loco ſitum. Sed Salvinius tota ſententia ab eo diſſentit, nam locus unde Bacchus ſic poterat denominari, debuit eſſe Σκίανθος, ex quo derivetur ΣΙΑΝΘΙος; namque, inquit, ἀπὼ τῶ Σκίας eſſet Σκίαδιος. Quis Salvinio repugnabit & obſiſtet, homini ſcilicet, qui graecarum litterarum ſtudio tantam contulit operam, ut omnes in eum tranſmigraſſe crederentur? Sed quum infinita ſint in antiquis marmoribus, quae neceſſario poſtulant emendari, Inſcriptionem ita reſtituendam arbitror, ut cognomentum hocce non ab oppido Libero Patri ſacro dedicatoque, vel ab alio derivandum ſit, ſed abs ritu geſtandae Vmbellae. Quod antequam faciam, hoc quoque notandum eſt, Cl. Scipionem Maffeium [b] omni doctrinae genere excultiſſimum exiſtimaſſe, primam etiam Inſcriptionis lineam emendatore indigere; nempe quum marmor votivum ſit, legendum Διονύσῳ [c]; res tamen exemplo non caret, ſi Διονύσȣ κατὰ πρόσταγμα latine reddatur: *Imperio Bacchi*. Formulae illae *Imperio Veneris*: *Juſſu Apollinis* &c. & ſimilia proſtant in quavis Epigrammatων collectione. Inſcriptionem itaque in hunc modum lubet reſtituere, ac latinitate donare, τὸ σκιάνθι mutilum verbum eſſe reor, cui litterae aliquot ſint addendae ad accommodatiſſimam ſignificationem conſtituendam, ſcilicet ſuppleo ΣΚΙΑΝΘΕΝΤΟΣ, id eſt *Vmbra tecti*; vel ut Plautino utar verbo, *Vmbratici*. Nam quemadmodum Bacchus modo dictus eſt λύναιος, quod mentem blande leniat; ἐπιλήνιος, quod vindemiis, & torcularibus praeſit; ἔνορχος, quo ejus ſacra cum tripudio agerentur; θρίαμβος, quod primus triumphum duxerit; μιτρηφόρος, quod ejus caput mitra religaretur, ſi nimio vini hauſtu nutaret; ναρθηκοφόρος, a ferula, cujus uſus in ejus Feſtis frequens erat &c. ita denominatus aptiſſime, propterea quod Vmbellam aeque ac mitram, & Ferulam in ſacris ſollemnibus obtineret. Vereor equidem ne

C haec

a *Apud Gorium ubi ſupra.*

b *Ibidem.*

c Reineſii index habet Διονύσῳ σκιάδῳ, quid ſibi velit, haud ſatis percipio, niſi putet idem eſſe σκιάδῳ, ac σκιαδηφόρῳ, vel ἐσκιατραφημένῳ.

haec noſtra lectio in vituperationem cadat recentium Grammaticorum , nimiumque nos pro libito arbitrari hi affirment, quum juxta eorum praeceptiones ſcribendum foret ΣΚΙΑΣΘΕΝΤΟΣ ; ſed illud erunt admonendi, Graecos litteram N alteri aſperioris ſoni proximam vel praetermiſiſſe , vel cum alia commutaſſe ἐυφωνίας gratia . Sunt haec in promptu apud Scriptores de pronunciatione Graecorum , ac praecipue in Dialogo Eraſmi . Ex eo autem , quod hic loco Σ ſit N , ni ego fallor, vetuſtiſſima hujus marmoris aetas emergit ; ſcalptum enim videtur dum adhuc graece litterae admodum impolitae rudeſque eſſent , quibus deinde doctorum hominum , maximeque poetarum diligentia ſuas contulit veneres . Habe jam latinam Epigrammatis verſionem

Ex . Juſſu
Bacchi . Vmbratici
Marcus . Pinarius
Proclus . &
Ariſtobolus
Ariſtoboli . Filius . P.

Hic ſi de Dionyſio finem faciam dicendi , ſatis diligentiae meae, ſatis cauſſae , & controverſiae feciſſe videar ; ſed nonnulla adhuc ſunt ex Hebraeorum antiquitatibus huc accerſenda , quo diſputatio cumulatius tractetur .

CAPVT TERTIVM.

Judaeos Helleniſtas in celebrando Feſto σκηνοπηγίας multa abs Ethnicorum Bacchanalibus flagitioſe adſciviſſe . Nec tamen omnino credendum Plutarcho, Judaeos ſe totos Idololatriae devoviſſe affirmanti. Narrantur ea , quae in Feſto Tabernaculi formam habuere Dionyſiorum . Nummus Agrippae ſenioris explicatus . Bacchicam σκιαδιοφόρησιν apud Hebraeos collabente Rep. vere obtinuiſſe .

NEminem latere arbitror permulta eſſe in Ethnicorum moribus , quae ſacrae Scripturae interpretandae aptiſſime advocentur , lucemque afferant quamdam inſtitutis Hebraeorum

rum explicandis . Sollemne apud illos *Feſtum Tabernaculorum* ἑορτὴ σκηνῶν , vel σκηνοπηγία , vel *Feſtum collectionis* , quod a die XV. uſque ad XXI. menſis *Tiſchri* ſingulari hilaritate, ac pompa agebatur . *Inſtitutum quidam putant in memoriam protectionis, quam Deus Iſraelitis deſertum tranſeuntibus nube dedit, ſub cujus umbra tamquam ſub tuto Papilione iter faciebant* [a] . Longe verius quod alii ſcribunt rationem ejus Feſti fuiſſe commorationem Patrum , ac majorum ſuorum in Tentoriis ac Papilionibus , ut auctor Levitici diſertis verbis teſtatur [b] . Dum etiam Exodi auctor inductum ſcribit in ſollemnem gratiarum actionem pro collectis frugibus [c] , & acta feliciter vindemia , quare a Theophylacto dicitur εὐχαριστήριον ἐπὶ συγκομιδῇ τῶν καρπῶν [d] . Porro τῆς μεγίστης ἑορτῆς caeremonias juſſu Dei Moſes ipſe praefinierat , ac conſtituerat . At quum Judaei jugiter in Idololatriam proclives , nativam perfectamque religionem , quam coelitus acceperant , peregrinis ac ſuperſtioſis ritibus contaminaverint , atque corruperint , tum in celebrando Tabernaculorum Feſto, multa ab Ethnicorum Bacchanalibus videntur adſciviſſe . Cujus quidem turpiſſimae corruptelae potiſſimum in cauſſa extitit Judaeorum cum Graecis familiarior conſuetudo , quae vel maxime ab obitu Alexandri M. interceſſit [e] . Igitur quia collabente judaica Republica in hoc celebri Feſto , praeter alios Bacchicos ritus , niſi me fallit animus , Vmbellae uſum invectum non obſcure perſpicio , aggredior rem quam diligentiſſime expendere , momentoque ſuo ponderare .

Compertum ſane mihi eſt, Ethnicos Scriptores , qua inſcitia ,

a *Thomas Goodvvinus Moſes & Aaron ſive civiles & eccleſiaſtici Ritus lib.* III. *cap.* VI. *Francofurti* 1716. *edit. Hottingeri Goodvvini Nepotis* .

b *Levit.* XXIII. *v.* 43.

c *Exod.* XXIII. v. 16. *V. Conradum Mel : Antiquarius* Sacer, *de Uſu Antiq.* Judaicarum *Graec. Roman in exemplum Scripturae duct. &c. Joh. Meyerum de origine & cauſſa Feſtorum Judaicorum . Conradum Ikenium Antiquit. Hebraic. P.* 1. *cap.* XII. *de Temporibus ſacris* §. 19 *Bremae* 1735.

d *In Johan.* VII.

e Alexandri Magni ſucceſſoribus de ſumma Imperii contendentibus , Judaeorum terra modo Aegypti modo Syriae Regum ex gente Macedonica praeda fuit . His regnantibus facile Graecorum moribus adſueverunt Judaei : potiſſimum quum Ptolomaeus Lagus Philadelphi Pater multitudinem eorum in Aegyptum deduxit . Longe nequiora ſub Antiocho Epiphane acciderunt . Quum ipſius dominatu omnia tenerentur , graecas conſuetudines in ſacris & civilibus ritibus Judaeos partim ſuppliciorum metu, partim voluptatis illecebra imitatos fuiſſe legimus *Macab.* II. IV. 10. 11. Ceteris exemplo fuere par illud impium ac ſceleſtum Jaſon atque Menelaus , tum etiam Ariſtobulus . *V. Joſeph Antiquit. Judaic, lib.* XII. & XIII. *Edit. Amſtelodam.* 1726.

tia, qua ſtudio partium corruptores antiquitatum Hebraicarum extitiſſe, & quae in eorum libris ſuperſunt Judaicae gentis veſtigia plerumque mendoſa eſſe ac depravata [a]. Non eſt tamen cur omnino Plutarchum reprehendamus propterea, quod *σκηνοπηγίαν* a Judaeis more Bacchantium peractam adfirmet: minime a vero abeſt ſi dicatur id ſerius contigiſſe, ſcilicet Plutarchi aetate; contigiſſe autem praeter omne divinae legis praeſcriptum, & contra primaevum morem. Ceterum plena errorum ſunt omnia, quae ſubdit, nempe hoc Feſtum Libero Patri fuiſſe dedicatum, Bacchumque ipſum a Judaeis coli. Is quidem in hunc modum ſcribit: *τῆς μεγίστης καὶ τελειοτάτης ἑορτῆς παρ' αὐτοῖς ὁ καιρός ἐστι καὶ ὁ τρόπος Διονύσῳ προσήκων. τὴν γὰρ λεγομένην νηστείαν ἀκμάζοντι τρυγητῷ τραπέζας τὲ προτίθενται παντοδαπῆς ὀπώρας, ὑπὸ σκηναῖς τὲ καθιᾶσιν, ἐκ κλημάτων μάλιστα καὶ κιττοῦ διαπεπλεγμέναις, καὶ τὴν προτέραν τῆς ἑορτῆς σκηνὴν ὀνομάζουσιν. Ὀλίγαις δὲ ὕστερον ἡμέραις ἄλλην ἑορτὴν οὐκ ἂν δι' αἰνιγμάτων, ἀλλὰ ἄντικρυς Βάκχου καλουμένου τελοῖσιν. Ἔστι δὲ καὶ κρατηροφορία τὶς ἑορτὴ καὶ θυρσοφορία παρ' αὐτοῖς, ἐν ᾗ θύρσους ἔχοντες εἰς τὸ ἱερὸν εἰσίασιν. εἰσελθόντες δὲ ὅ τὶ δρῶσιν οὐκ ἴσμεν. εἰκὸς δὲ βακχείαν εἶναι τὰ ποιούμενα. καὶ γὰρ σάλπιγξι μικραῖς, ὥσπερ Ἀργεῖοι τοῖς Διονυσίοις, ἀνακαλούμενοι τὸν Θεὸν χρῶνται. καὶ κιθαρίζοντες ἕτεροι προσίασιν, οὓς αὐτοὶ λευίτας προσονομάζουσιν, εἴτε παρὰ τὸν λύσιον, εἴτε μᾶλλον παρὰ τὸν Εὔιον τῆς ἐπικλήσεως γεγενημένης.* *Maximae, & perfectiſſimae* (Judaeorum) *ſollemnitatis & tempus & modus cum Bacchi ſacris congruit. Quod enim ipſi vocant jejunium, id ſic celebrant, ut maxime fervente vindemia proponant menſas, in quibus expoſitae ſint omnis generis fruges: & ſub Tabernaculis deſident, potiſſimum e palmitibus & hedera, quae contexuntur: & diem, quae Feſtum antecedit Tabernaculariam nominant. Paucis vero poſt diebus aliud Feſtum non obſcure, ſed omnino aperte Baccho nuncupatum celebrant. Eſt etiam apud eos ſollemne Feſtum craterophoria* (crateris geſtatio) *& Thyrſophoria, ubi Thyrſos geſtantes in templum intrant: quid intus faciant, ignoro. Credibile eſt Bacchi ab iis ſacra peragi. Nam tubis exiguis ſicut Argivi in Bac-*

a Singulari libro id docuit Chriſtianus Wormius *de corruptis Antiquitatum Hebraearum apud Tacitum & Martialem veſtigiis*.

Bacchanalibus utuntur , ut Numen evocent : & alii progrediuntur citharis ludentes , quos ipſi Levitas appellant , ſive a Lyſio , ſive ab Evio[a] *potius ita dictos*[b] . In hoc quidem ſplendide mendacem ajo eſſe Plutarchum , quod Judaeos aperte & large DIs Ethnicorum cultum adhibuiſſe ſcribat .

Venio nunc ad ea , quae in Feſto Tabernaculi ſimilitudinem & formam habuere Dionyſiorum ; ſequar autem Jo. Gothofredum Lakemacherum , qui acute , multiſque verbis diſputavit *de Ritibus quibuſdam Bacchicis a Graecis ad Judaeos derivatis*[c] . Praemonuimus itaque cap. I. Bacchi ſacra noctu plerumque exerceri ; eodem ferme modo veſperaſcente jam die in Atrium turba feminarum confluebat Feſtum Tabernaculorum actura . De quibus ſacris pervigiliis ex divinarum litterarum teſtimonio permulta ſunt apud Petrum Zornium[d] , & Joh. Chriſtophorum Harenbergium[e] . quamquam populi hujus ſollemnitates ferme omnes nocturno tempore celebrari conſueviſſe, non inſcite evincunt Joh. Ligtfootus[f] , & Campegius Vitringa[g] . Deinde cap. II. in Bacchi Templum Lampades , faceſque accenſas inferri adnotavimus ; quod etſi in Panathenaeis , Hepheſtiis , Prometheis uſuveniret , Dionyſio tamen ab Ariſtophane potiſſimum adjudicatur : *σὺν πευκαις σελαγεῖ Κωμαστὴς Διονύσος cum taedis ſulget comeſſator Bacchus*[h] . Simillima narrant Talmudici de Feſto Tabernaculorum , in quo viri primores ac religioſi faces ardentes inter ſaltandum in altum jaciebant , delapſaſque manibus rurſum excipiebant . Quid dicam de ſaltationibus a Bacchantibus artificioſe inſtitutis ? *Δαίμων Ευόρχης* Lycophroni dicitur ipſe Dionyſius[i] . Quid de cymbalis , nabliis , tibiiſque , aut de vociferatione ? de amphorae & calathi geſtatione ? de ramorum agitatione ? quid tandem de comeſſationibus & compotationibus ? notiſſima haec dum Baccho ſacra haberentur .

a *Sympoſiacωn lib.* IV. *Edit. Xylandri Francofurti* 1599.

b Utrumque Bacchi nomen . V. Banier. *Explicacion Hiſtorique des fables Tom.* II.

c *In Obſervationibus Philologicis Tom.* I. *Obſer* II. *Helmeſtadii* 1725.

d *Opuſcula ſacra Tom.* I. *de Vet. Hebrae, Pervigiliis ſacris Altonaviae* 1743.

e Exſtat in *Bibliotheca Bremenſi Claſſe* VII. *Faſciculo* I.

f *In Horis Hebraicis ad Marci* XIV.


g *Comment. in Eſaiam* XXX. *V. Critic. Sacr.*

h *In Nubibus . Edit Ludolph. Kuſteri . Amſtelodami* 1710.

i *In Alex .*

tur. Verum turpes ac flagitioſas ejuſmodi caeremonias a Graecis (praeſertim ſub Regibus AEgyptiorum Syrorumque Macedonicis) didiciſſe, & aliquando nequiter retinuiſſe Judaeos recentiores legiſque deſertores probat idem Lakemacherus, cujus verba, atque allata ab eo teſtimonia exſcribere ſupervacaneum duco. Nunc quod in hac re primum intereſt, conficiamus.

His itaque graecorum ritibus imitandis quum perdite incumberent, nihil miror ſi vel ipſam Vmbellam more Bacchico in Feſto Tabernaculi deferrent. At inquies, ubinam ejus moris indicia? in nummo Agrippae Senioris abs Judaeis Helleniſtis percuſſo, quem ſubjicio conſpiciendum.



Diu multumque haeſit Cl. Spanhemius, ut ipſe fatetur [a], quo referenda eſſent ſymbola in utraque nummi parte inſculpta. Dubitaverat primum, ſpicas illas fertilitatem Provinciarum, quibus praeerat Agrippa, denotare [b]. Tandem ſpicarum manipulum ad Feſtum Pentecoſtes pertinere opinatus eſt [c], pluribuſque argumentis eam opinionem tuetur, atque perſuadet. De Tentorio autem, quod eſt in altera nummi parte cum Bocharto Hebraicarum antiquitatum primipilo, atque cum Boterovio [d] ſentit, nempe Feſtum Tabernaculorum ab eo praeſignari [e], quod communiter probatiſſimi ſcriptores concordi plane ſen-

a *De Vſu & Praeſtant. Numiſm. Diſſ.* VIII. *Edit. Amſtelod.* 1717.

b Recte id quidem eſt ſuſpicatus; nam Metapontini prae multis & Siculi, apud quos magna frumenti copia ſpicas triticeas ſuis nummis inſculpi juſſere. Sunt praeterea nummi alii complures, qui id confirmant, ut illud Antonini Pii cum lemmate ΕΥΘΗΝΙΑ *Fertilitas*, ceterique quos collegit, illuſtravitque Chryſoſtomus Hantaler: *Exercitationes Faciles de Nummis Veter. Dialog.* XII. *n.* VIII. *Norimbergae* 1741.

c Spicarum manipulum in nummo Agrippae Auctor Cimeliotheeae S. Genovefae ad Feſtum Azymorum ſpectare arbitratur. *Gabiner de Sainte Geneviefue Tab.* XXII. *pag.* 91.

d *Claude Bouterove, Recherches de Monnoyes pag.* 30. *Paris* 1666. Petrus Seguinus in *Selectis Numiſmatibus Pariſiis* 1684. cenſuit non Tentorium eſſe, ſed Galeam equina cauda inſignitam; at nummum certe ille viderat nimis detritum, ut in eam deſcenderet ſententiam.

e Joh. Harduinus quem unum novitas magis quam veritas ad nummos interpretandos ſemper excitavit, ſibique in laude poſuit via progredi nullius antea trita pede, en quid de hoc ſymbolo proferat. Tabernaculum illud Agrippae, & quidem Junioris Ducatum ex S. C. in Judaea commiſſum indigitare, quo procurationem gereret

ſententia aſſeverant. Jam vero quae ſimilitudo hujuſce Tentorii cum Tabernaculis. quae a Judaeis pro illa celebritate fabricabantur, dum Moiſi leges, & inſtitutae ab eo caeremoniae adhuc cuſtodirentur? Vetera Hebraeorum Tabernacula ſub dio conſtitui oportebat; non intra Portas, aut ſub arboris tegmine; nec tegi velis, nec condenſari frondibus. Rimulas quoque relinqui fas erat, per quas pluvia illaberetur, Solis radii tranſmitterentur, Stellae noctu tranſparerent. Thyrſi olearum, & Palmarum, termites Myrtorum, rami Salicum parietibus, tectiſque aedificandis materia aptiſſima: tectorum vero forma numquam culminata, ſed plana. In Nummo autem Agrippae nil viſitur, quam Vmbella in acumen deſinens, ab imbribus pertegens, ſolis radios arcens: hic nullum termitum aut ramorum veſtigium, ſed opus textile, aut pelliceum baculo quodam ſuffultum. Quid tantam effecit diſſimilitudinem in Tabernaculis conſtruendis? Ita plane exiſtimo; Foedifragos Hebraeos illos ex longa ac vitioſa cum Graecis conſuetudine. apud quos magnificam σκιαδιοφόρησιν ſaepe viderant, corrupto contaminatoque judicio illam ſuis ritibus admiſcuiſſe. Atque eo etiam magis, quod patriis regionibus extorres, ac in exilium exportati diu a ſuae religionis caeremoniis fuerint prohibiti: id autem facile evenit ob eam rem, ut purioris, caſtique cultus a Moſe inducti obliviſcerentur. Vel quod putarent licere ſibi tempori ſervire, & potentiſſimis ſuis Regibus obſecundare, Tabernacula ſic aedificando, & quod ritum hunc falſo arbitrarentur ex his rebus, quae neque in vitiis, neque in virtutibus ſunt. Vt ut res contigerit, duo rata fixaque puto, Tentorium in nummo Agrippae ad Feſtum Tabernaculorum pertinere, formam vero Tentorii adeo ab antiquis abſimilem atque abnormem indicio eſſe quidpiam ex Ethnicorum moribus derivatum apud Judaeos Helleniſtas obtinuiſſe.

reret non regia poteſtate, ſed ſolo militum imperio: eſt enim imperatoris adſignare ubi Tentoria ponenda, quove transferenda. V. *Chronologia ex Nummis reſtituta cum Proluſione de Nummis Herodianis*. *Pariſiis* 1693. At quis tam hebes, quem iſta moveant? aut quid negotii eſt haec portenta convincere?

CAPVT QVARTVM.

Qua ratione Vmbella deportaretur in Eleuſiniis Theſmophoriis, ac Panathenaeis religionis ergo. Ariſtophanis Scholiaſtes caſtigatus. Theſmophoria fuiſſe ἔργα νυκτέιζια. *Numiſma Juliae Domnae illuſtratus.* ΣΚΙΡΑ *apud Athenienſes in honorem Minervæ Scirades. Vmbella in eo feſto quorſum elata. Cur illa albi coloris. Suidas parum ſibi conſtans in ejus deſcriptione.*

GRaeci quondam, qui omnia, quae ad Deorum cultum pertinerent diligenter pertractabant, iiſque nomina naturae officiiſque apta & convenientia imponebant, praeclare Bacchum, teſte Strabone [a], appellabant: ἀρχηγέτην μυςηρίων τῆς ΔΗΜΗΤΡΟΣ, *Ducem Miſteriorum CERERIS*. Quare quum jam ſuperioribus capitibus traditum a nobis ſit, qui fuerit Vmbellae uſus in Dionyſiacis, ſequitur nunc ut explicemus qua ratione deportaretur dum dies Feſti in honorem Cereris, totius Graeciae celebritate, agerentur. *In Cereris autem feſtis prædicantur illa Eleuſinia, quae apud Athenienſes nobiliſſima fuerunt* [b]. In quem vero finem ea inſtituta ſint ita in promptu eſt, ut diſputatione non egeat. Hoc Graecorum animis inſitum & perſuaſum raptam a Plutone prope Lernam, ubi Fluvius Chimarus labitur, Proſerpinam fuiſſe, *quam quum inveſtigare & conquirere Ceres vellet, dicitur inflammaſſe taedas iis ignibus, qui ex Aetnae vertice erumpunt, quas ſibi cum ipſa præferret, orbem omnium peragraſſe terrarum* [c]. In ejus memoriam ſacra haec, de quibus tractationem mihi aſſumo, ab Erechteo Pandionis Filio (a quo Athenis exordium coepit regum Erectidarum) dedicata ſunt, aut ſaltem ſollemniori ritu peracta feruntur; & dupliciter Dionyſiacis aſſimilia, tum quia alia τὰ μεγάλα, alia τὰ μικρὰ, tum quia noctu peragebantur menſibus Antheſterione, & Boedremione.

Cereri

a *Strab. Geograph. lib.* x. *Edit. Pariſ.* 1620.

b *D. Auguſtin. de Civ. Dei lib.* VII. *c.* XX. *Edit. Rom.* 1468.

c *Cicero in Verrem* IV. Addito, ſi placet Arnobii verba: *Eleuſynia illa myſteria & ſacrorum reconditi ritus, cujus memoriam continent? nonne illius erroris, quo in filiæ conquiſition Ceres feſſa oras ut venit ad Atticas, triticeas attulit fruges. lib.* V. *Lugdun.* 1677.

Cereri etiam Theſmophoria ſumma religione, devinxit Triptolemus, quae apud Graecos, nocturno quoque tempore, menſe Pinapeſione, poſt tritici demeſſionem celebrabantur [a]. Ea non ſolum Athenis, ſed alibi etiam obtinuere, & inventa creduntur in memoriam latarum a Cerere legum, & datarum hominibus frugum. Cetera, quae ad feſti hujus originem antiquitatemque ſpectant, tradit illuſtris Ezechiel Spanhemius in obſervationibus ad Hymnum Cereris Callimachi. *Ex Aegypto in Graeciam & a Danaidibus quidem ac proinde Argos, ubi eaedem cum Patre Danao dicuntur adpuliſſe, illatum primo hoc Cereris Feſtum. Θεσμοφόρια a Graecis dictum tradit Herodotus lib II. cap.* CLXX; *ita tamen ut recuperata a Doribus Peloponneſo, apud ſolos Arcades idem deinceps remanſerit*. Multa equidem Eleuſiniis aeque ac Theſmophoriis erant communia, atque inter haec geſtatio Vmbellae. Scholiaſtes vetuſtiſſimus Ariſtophanis in Avibus. *τὸ σκιάδειον κατασκεύασμάτι ὅπερ ἔχουσιν αἱ κανηφόροι ἀπιοῦσαι εἰς τὰ ἐλευσίνια ὑπὲρ τοῦ μὴ καίεσθαι ὑπὸ τοῦ ἡλίου. Vmbella operculum quoddam, quod geſſerunt Caniſtra ferentes* (Virgines) *ad Eleuſinia, ne a ſole adurerentur* [b]. Sed hac in re auctor adhibendus ipſemet Ariſtophanes *θεσμοφοριάζουσαι*, a quo inter requiſita pro Choro Mulierum Theſmophoria celebrantium adducuntur *καλάθισκοι, καὶ σκιάδοι. Calathiſci & Vmbellae.*

Ἡμῖν μὲν γὰρ σῶν ἔτι καὶ νῦν
Ταντίον, ὁ κανῶν, οἱ καλάθισκοι
Τὸ σκιάδειον.
Nobis enim ſalvum adhuc etiam nunc
Liſciatorium, ſcapus textorius, Calathiſci,
Vmbella. [c]

Duo tamen in Ariſtophanis Scholiaſte arbitror improbanda. Primum quod Vmbellam non Pompae ſacrae ſupellectilem judicet, ſed potius inter utenſilia domeſtica mulierum recenſeat. Alterum quod ad ſolis aeſtum devitandum a matronis deportari affirmet. Enim vero Ariſtophanes ipſe Calathiſcos & Vmbellas

 perae-

a Non quinquartia, ſed annua fuiſſe ejuſmodi ſacra probare adnititur. Vandale in marmoribus. *Diſſert.* VIII. *cap.* II.

b His omnino ſimilia habet Suidas in Lexico v. *σκιάδιον Edit. Colon. Allobrog.* 1619. *& Cantabrigiæ* 1705.

c *Edit. Kuſteri.*

peraeque memorat: erantque ſymbolica quædam inſtrumenta, quibus, aut rerum a Cerere, & Proſerpina geſtarum recordatio excitaretur, aut quid in his ſacris foret agendum praeſignabatur. Neque opus erat umbraculo ullo ad Eleuſinia, & Theſmophoria abeuntibus, quum mulieres ad illa die veſperaſcente, & ſub occaſum ſolis procederent. Quod autem per noctem Theſmophoria celebrarent, ſcriptum eſt ab ipſo Ariſtophane, dum ea, loco laudato, *γυναικῶν ἔργα νυκτέρια*, *mulierum opera nocturna* appellat, a quo non diſſentit Arnobius: *Vultis enim conſideremus myſteria, & illa divina, quae Theſmophoria nominantur a Graecis, gente ab Attica ſancta illa* PERVIGILIA *conſecrata ſunt* [a]. De Eleuſiniis vero, quod noctu agerentur, fuſe lateque probant ſcriptores de Feſtis Graecorum, quorum auctoritati ſuffragatur Numiſma magni moduli Maſaccae in Cappadocia ſub monte Argeo, (cui deinde Caeſareae nomen fuit) percuſſum in honorem Iuliae Domnae, ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC ΚΑΙCΑΡΙΑC ΝΕΟΚΟΡΟΥ. Exſtat de more caput Auguſtae, vorſum autem *Genius Vrbis: Meta ante, & altera poſt Genium cum duabus Taedis hinc & inde. Cerealia Græcis ἐλευσίνια in Circo noctu peracta indicant; unde Circi metae & lampades, quod ſacra a Matronis luctus cauſſa Cereris filiam cum facibus quaeritantibus celebrarentur* [b].

Celebritati ac pompae τῶν θεσμοφορίων nihil ceſſerant τὰ παναθήναια in honorem Minervae, quae Athenis potiſſimum auſpicatis diebus agi conſueverunt. Nihil ego dicam de ſollemnibus ludis, ſupplicationibus, obambulationibus, muſicis aut gymnicis certaminibus illic habitis:

Debita cum caſtae ſolvuntur vota Minervae,
Tardaque confecto redeunt quinquennia luſtro?

Quid attinet de rebus tam apertis plura requirere? Tempus tamen, quo celebrabantur neceſſum eſt paucis adnotare: Τὰ μεγάλα παναθήναια itaque XXII Hecatombeonis, τὰ μικρὰ poſtridie Bendideorum, ideſt XX Thargelionis. De his autem ſcribentibus quid frequentius, aut uſitatius quam Virginum σκιαδηφόρων commemoratio? cujus rei documenta qui exquiret, adeat

a *Lib. v. Edit. Lugd. Batav. 1651.*

b *Vaillant in num. Muſei de Champs.*

adeat Johannem Meurſium, a quo haec copioſe tractata ſunt [a]. Sed fuit apud Graecos celebrior quaedam dies in honorem Minervae, quae Vmbellae ſollemni ritu deferendae penitus addicta videbatur, nempe Feſtum ΣΚΙΡΑ, vel ΣΚΙΡΟΣ, aut ΣΚΙΡΟΝ. Quatuor hic excutienda res ſuppeditat: Feſti hujus ritum, myſticam ejuſdem ſignificationem, tempus, quo agebatur, & Vmbellae in eo adhibitae conditionem, atque naturam. Haec omnia autem brevi oratione concluſit Suidas. Σκίρα ἑορτὴ παρ' Ἀθηναίοις, ἀφ' ἧς καὶ ὁ μὴν Σιροφοριών. Φασὶ δὲ οἱ γράψαντες περὶ τε μηνῶν καὶ ἑορτῶν Ἀθήνησιν, ὡς τὸ σκίρον σκιάδιον ἐστι, μεθ' οὗ φερόμενοι ἐξ' Ἀκροπόλεως εἰς τίνα τόπον, καλούμενον Σκίρον πορεύονται ἥ τε τῆς Ἀθηνᾶς ἱέρεια, καὶ ὁ τοῦ Ποσειδῶνος ἱερεὺς, καὶ ὁ τοῦ Ἡλίου. κομίζουσι τοῦτο Ἐτεοβουτάδαι. σύμβολον δὲ τοῦτο γίνεται τοῦ δεῖν οἰκοδομεῖν καὶ σκέπας δὲ ποιεῖν, ὡς τούτου τοῦ χρόνου ἀρίστου ὄντος πρὸς οἰκοδομίαν. καὶ Ἀθηνᾶν δὲ Σκιράδα τιμῶσιν Ἀθηναῖοι, ἣν φιλόχορος μὲν ἐν β'. Ἀτθίδος ἀπὸ Σκίρου τινὸς Ἐλευσινίου μάντεως κεκλῆσθαι. Πραξίων δὲ, ἐν β'. Μεγαρικῶν, ἀπὸ Σκίρωνος ..... Σκίρος σκιαδιον. ἑορτή τὶς ἀγομένη τῇ Ἀθηνᾷ, ὅτε σκιαδίων ἐφρόντιζον ἐν ἀκμῇ τοῦ καύματος. Σκίρα δὲ τὰ σκιάδια. οἱ δὲ οὐ διὰ τοῦτό φασιν, ἀλλὰ διὰ τὴν ἀπὸ Σκίρων Ἀθηνᾶν, ἣν Θησεὺς ἐποίησεν, ὅτε ἐπανήει ἀποκτείνας τὸν Μινώταυρον. ἡ σκίρα δὲ ἐστὶ γῆ λευκὴ, ὥσπερ γύψος. οἱ δὲ φασὶν ἀπὸ Σκίρου τοῦ Ἐλευσινίου μάντεως γενέσται τὴν ἐπωνυμίαν ταύτην. ἄλλοι δὲ ἀπὸ Σκίρου τοῦ συνοικίσαντος Σαλαμῖνα. *Scira Feſtum apud Athenienſes, a quo & menſis Scirophorion appellatus eſt. Dicunt autem illi, qui de Menſibus & Feſtis Athenienſium ſcripſerunt, Scirum Vmbellam fuiſſe, cum qua Minervae ſacrificula, & Neptuni ſoliſque ſacerdos ex Arce in locum quemdam, qui Scirus dicebatur, deducerentur: Eteobutadis* [b] *Vmbellam iſtam ferentibus. Ea autem res ſignificabat, domos tunc & tecta exſtruenda eſſe, quod tempus illud aedificationi maxime opportunum eſſet. Et Minervam Sciradem Athenienſes colunt; quam Philochorus lib.* II *Rerum Atticarum, a Sciro quodam, vate Eleuſinio, ſic dictam eſſe tradit. Praxion vero, libro* II *Rerum Megaricarum,*

[a] *Panathaenea, Graecia Feriata, Lectiones Atticae.*

[b] Familia nobilis apud Athenienſes ex qua lecti Sacerdotes a Bute Sacerdote ſic dicta. Ariſtophanis tamen Scholiaſtes a Sacerdotibus Erechthei Regis delatam ſcribit.

rum, a Scirone quodam .... Sciros Vmbella. Feſtum etiam in honorem Minervae celebrari ſolitum, eo tempore, quo ob ſummum aeſtum homines Vmbellas ſibi parabant. Scira enim dicuntur Vmbellae. Alii vero feſtum hoc non inde ſic appellatum eſſe ajunt, ſed a Minerva, quam ex terra alba Theſeus fecit, cum occiſo Minotauro domum rediiſſet. Scira enim eſt terra alba, ut gypſus. Alii tradunt, cognomen hoc a Sciro quodam Eleuſinio vate deductum eſſe. Alii a Sciro, qui in Salaminem colonos deduxit [a]. Copioſe & abſolute videntur haec dicta a Suida; Nihilominus pauca addenda ſunt, nonnulla damnanda, obeloque fodienda. Ac primo Feſtum ejuſmodi non ſolum in honorem Minervae, ſed etiam Cereris & Proſerpinae inſtitutum contendunt alii. Meminit Feſti hujus Polyaenus [b]: quo die quum Athenienſes inſignem & glorioſam victoriam ad Mantineam fuiſſent conſecuti, ejus diei recordatio jucundior apud ipſos, atque ſollemnior evaſit [c]. Verno autem tempore, id eſt XII Scirophorionis, quare inconſtantiſſime hoc dictum eſt a Suida *ἐν ἀκμῇ τῦ καύματος in ſummo aeſtu*, vel *in ipſo aeſtus vigore* celebrari, eamque ob cauſſam Vmbellam eo die geſtari. Menſe Scirophorione nondum exacto, homines calore majorem in modum minime aeſtuare quis ignorat? Quod ſane vel ipſe advertere poterat, qui ſcripſerat Vmbellae geſtationem in eo Feſto indicio eſſe tempus idoneum adveniſſe parietibus ſtruendis, domibuſque exaedificandis, quod unum ferventiori anni parte haud contigit, ſed veris tempeſtate.

Poſtremo libenter aſſentior Meurſio in eo feſto Vmbellam fuiſſe albi coloris; quod tamen non ideo factum cenſeo, ut illa Simulacro Minervae a Theſeo dedicato par eſſet, atque aſſimilis, ſed quia hic color laetitiae cauſſa adhibitus [d]. Non ſum neſcius Herodianum, Plutarchum, atque Arthemidorum [e] affirmaſſe veteres diebus luctuoſis albis veſtibus uſos fuiſſe, & qui illis eſſent induti, moerentium ſpeciem praebere: quod etiam indicavit, atque innuit Homerus, ubi de Patrocli funere [f].

Sed

a Tom. III. *Edit. Cantabrig.*

b *Lib.* III. *Edit. cum Not. Varior. Lugd. Batav.* 1690.

c *De Gloria Athen. Plutarch.*

d V. Ferrarium *de re veſtiaria lib.* I. *c.* XXII.

e *Herodianus Edit. Argent.* 1662. IV. II. *Plut. quaeſt. Roman.* XXVI. *Artemidorus Oneirocritica* II. III. *Lutetiae* 1603.

f *Illiad.* Σ. *Edit. Lederlin.*

Sed etiam cuivis pompae hilaritatis plenae, omnibuſque appa-ratiſſimis ſpectaculis candida veſte inter fuiſſe traditum eſt communiter a ſcriptoribus de Re Veſtiaria [a]. Feſtiva Martialis carmina (ſi tamen hic fas eſt) teſtis loco recitabo [b]. Quamquam id mihi aliquam efficit ſuſpicionem, ut minime a vero abeſſe tradam illorum ſententiam, qui Σαίρκν Cereri ſacram autumarunt.

Alba decet Cererem veſtis, Cerealibus albas
Sumite, nunc pulli velleris uſus abeſt [c].

CAPVT QVINTVM.

Vmbellam nedum noſtra memoria, ſed ab ultimis uſque temporibus velut inſigne & indicium dignitatis habitam ſuiſſe. Id vel maxime apud antiquiſſimos Perſarum Primores. Quid reliquiae Perſepoleos. Conradi Stiglizii ſententia de Vmbellis, Statutis ſigniſve Heroum adpoſitis. Ius deſerendae Vmbellae a Senatu P. C. minime irrogatum. Vmbella num tegumentum capitis Deſpotae, & Procerum Byzantinorum? Praetoribus juri dicundo an conceſſa, atque data?

VEtus opinio eſt pene ab heroicis uſque ducta temporibus dignitatem certis inſignibus, atque indiciis ſuſtentari exornarique. Nam quum ea a Tullio definiatur honeſta cultu, & honore, & reverentia digna auctoritas; conſentaneum eſt, ut qui ſummum, & altiſſimum gradum obtinent Civitatis, ſignis quibuſdam ſui adventus, & conditionis populum veluti admoneant, quibus hic percitus, obſervantia & obſequio illos proſequatur. Inſignibus hujuſmodi ſi Vmbellam annumeravero, rem & Scriptorum judicio, & praeclaris monumentis teſtatam affirmabo. Principio Perſarum Reges (ut ab ultimis quorum veſtigia ſuperſunt, auctoritatem repetam) Vmbella uſi ſunt, qua

a Adiſis libros, qui manibus omnium teruntur.

b Martialis IV. II. *Edit. Calder.*
Spectabat modo ſolus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis,
Cum plebs, & minor ordo, maximuſque
Sancto cum duce candidus ſederet.
Toto nix cecidit repente coelo:
Albis ſpectavit Horatius lacernis

c Ovid. *Faſtorum* IV. ſimilia habet *Metamorph.* X. *Edit. Amſt.* 1727.

qua magnam ſpeciem ac majeſtatem Regis declarari putabant. Nihil fortaſſe vetuſtius ruinis ruderibuſque Urbis Perſepoleos in magna & amoeniſſima planitie, non longe ab Araxe fluvio, quondam ſitae, quae etiam num conſpicientibus admirationem injiciunt. Urbem hanc magnificentia aedium regiarum inſignem aetatem Alexandri M. anteceſſiſſe non obſcurum opinor, neque abſconditum. Columnas, periſtilia, pyramides, toreumata, quae adhuc ſuperſunt, viderunt diligentius, prae ceteris Chardin [a], & Bruyn [b] in doctis peregrinationibus, quas ad eam regionem inſtituerunt. Quumque ea monumenta deſcribant, aliquot anaglyphta oculis ſubjiciunt aere inciſa, in quibus frequenter viſitur Rex, ſeu alius quiſpiam ad ampliſſimum gradum in Vrbe elatus, ſervorum choro ſtipatus, atque in eo Ancillae duae, quarum altera Vmbellam defert, altera ſetoſa equi cauda, tanquam flabello, muſcas abigit. Etiam quum in ſolio ſederent ornatu regali, inter alia majeſtatis inſignia, Vmbellas ſolo infixas retinuiſſe oſtendunt haec ipſa monumenta. Id autem ex eo repete, quod Reges illi potentiſſimi, qui ſe quavis in re praebebant ſuperbos, divinos affectarent honores [c], vel quod aſſentatio vitiorum adjutrix voluntati, & arrogantiae Imperatorum blandiens, ejuſmodi inſignia lubens conceſſerit.

Sane quum de divinis honoribus, quos homines ſibi impudenter tribuerunt ſermo ſit, hoc quaeri ſolere non me praeterit, num inter eos recenſendae Vmbellae, Spherulae, Lunulae, Patellae, quas veteres Statuis, ſigniſque Heroum adpoſuerunt. Qui de his ſcripſerunt tanta ſunt in varietate, & diſſenſione, ut eorum moleſtum ſit dinumerare ſententias [d], *Mibi quidem*

a *Voyages de Perſe par Mr. Chardin.*

b *Voyages de Corneille Bruyn. tom.* IV. *Chapitre* LII.

c V. Hyde *de Religione Perſarum Oxonii* 1700. Perſarum Regum arrogantiam, qua Divinitatem ſibi tribuebant præ ceteris declarat illud, quod Sapor de ſe ipſo apud Ammianum *lib.* XVII. *Rex Regum Sapor. Particeps Syderum; Frater Solis, & Lunæ.* Quod ex eorum religione derivandum: quum nempe Aſtra potiſſimum colerent, eorum primis & maximis ſe ſe aequabant; perinde ac Romani quidam Imperatores ſe Jovi & Herculi aſſimilabant, quos primores in ſenatu Deorum rebantur.

d Salmuth in notis ad Pancirolum *de Reb. memorab. tit.* XLIV. morem Vmbellas ſtatuarum capitibus adponendi profluxiſſe ſcribit, ut ea abs temporum injuriis ſarta recta eſſent, neve ab avibus conſpurcarentur; habere autem in ea opinione adſtipulatorem Scaligerum. Horum ſententiam prae ceteris improbat, refutatque Ciampinius *Vetera Monimenta part.* I. *cap.* XIV. qui perperam in hunc locum accerſitam docet Ariſtophanis & Horatii irriſionem. Nonnulli a Moſe ejuſmodi *μηνίσκυς* auſpicantur. Plura qui deſiderat adeat Cl. Sebaſtianum Paulium *Diſſertat. de nummo Aureo Valentis pag.* 9. *& ſeq. Lucæ* 1722.

quidem ſatis idoneus auctor Conradus Stiglizius in Diſſertatione *de Lunatis Veterum Gentilium inſignibus* [a], cujus judicium, ut exiſtimo, difficile factu eſt non approbare. *Quantum quidem ego arbitror* (ait ille) *has Lunulas tanquam divinitatis ſigna, majeſtatem aliquando conciliando dumtaxat habuerunt Gentilium ſapientiores. Quemadmodum autem lunularum cornua ad cœlum ſpectare ſolebant; ſic etiam veteres ea invertere, ſtatuarumque capita hoc modo ambeuntes, Lunulas μηνίσκȣς nominare cœperunt. Quam conſuetudinem ex illo Homeri totius Idololatriæ patris loco, tanquam ex fonte emanaſſe egomet cenſeo, ubi aurea nube caput Achillis circumſepire dignata eſt Minerva, atque hinc quoque puto Latinis dicuntur Nimbi. Divinæ ergo originis fuit iſte mos, qui in efficiendis Cœleſtium Deorum ſimulacris, hac potiſſimum de cauſſa obſervatus videtur, ut capita eorum tecta, & quaſi pileata forent: inopertum enim caput ſignum olim fuit humilitatis, ac proinde ab excelſitate Deorum abhorruit*. Harum Vmbellarum & *μηνίσκων* vetuſtatem demonſtrare, & num ab Ethnicis ritum hunc mutuati ſint Chriſtiani, in quorum muſivis ac monumentis frequens viſitur orbiculus & lunata Vmbella; an potius illum e Chriſtianae Hiſtoriae fontibus hauſerint, narratione ſuperſedeo, quum ea de re plena manu jam dixerit Johannes Nicolai [b]. Quae vero maxime notanda ſunt in Nimbis inferioris aevi illuſtravit vir ſumma & praecellenti eruditione Anſelmus Coſtadonius [c], quo cum mihi omnia amicitiae, & familiaritatis jura intercedunt. Nunc quae reſtant de Vmbellae dignitate.

Eam ampliſſimo ordini Patrum Conſcriptorum, qui Rempubl. adminiſtrabant datam atque conceſſam legimus apud And. Tiraquellum G. D., eo loco, quo agit de Senatorum ſplendore, atque ornamentis: *Tantaeque dignationis fuere*, inquit, *ſequutis temporibus, ut in oppidis per loca & conventus Vmbraculis uterentur*

a *Erfordiæ* 1749. §. 1. Fabrettus utique Vmbellas putat additas in divinitatis, majeſtatiſque indicium illorum ſtatuis, quos Ethnici ſupra mortales evectos credebant ſuſpiciebantque; at illi perſuaſum fuit rem derivandam ab illis velaminibus, quibus olim Deorum, & Conſecratorum hominum capita amiciebantur. *De Columna Trajani cap.* IX. Idem ferme ſentit Paulius mox laudatus. *Ragionamento ſopra il titolo di Divo dato agli Imperadori*. *Lucae* 1722.

b *Joh. Nicolai Diſquiſitio de Nimbis Antiquorum Jenae* 1699.

c *Obſervationes in Graecam pervetuſtam Iconem ligni SS. Crucis. Florentiae* 1749. *Symbol. litterar. Volum.* III.

tur indultum ſit [a]. At Tiraquelli fides ex illo imminuitur, quod ea res ſiletur, ſi recte memini, ab his omnibus, qui Reip. temporibus vixerunt, & Senatorum inſignia poſteris indicarunt. Adde huc, quod teſtem nullum ex antiquis producat: non tabulas, non acta Senatus, non legem ullam proferat. Senatorum, ut ait Tullius, erant Toga praetexta, & Sella Curulis, Tunica Latoclavo purpureo intexta, Calcei Lunati; cum binis Lictoribus legationes obire; primos ubique ſubſelliorum gradus, & pulvillos obtinere. Et Senatores, qui Curules Magiſtratus geſſiſſent, curru in Curiam honoris cauſſa vehebantur, ceteri pedibus itabant [b]. Sed de Vmbella nulla commemoratio antiquitatis, nulla exemplorum prolatio; quod nec quidem reperio in noviſſimo Tractatu Congerſii Middletonii, hominis ſecundiſſimae in orbe famae, cui etſi nonnulla memoria excidant [c], Senatorum tamen privilegia omnia perſpecta fuerunt. Ego itaque ſuſpicor Tiraquellum, ut ſolet, hallucinari, & illi fucum feciſſe nonnulla Dionis verba, quibus docet Caligulam Senatoribus cauſſias Theſſalicas in Theatra ferre permiſiſſe, ne inſolatione torquerentur. *καὶ πίλους σφίσι τὸν θετταλικὸν τρόπον ἐς τὰ θέατρα φορεῖν, ἵνα μὴ τῇ ἡλιάσει ταλαιπωρῶνται, ἐπέτρεψε.* *Vſumque Pileorum Theſſalicorum conceſſit in Theatris* (Senatoribus) *ne ſolis ardore laborarent* [d]. Haec forte anſam dedere errori, ut Tiraquellus birrum, pileum, cauſſiam pro Vmbella acciperet. Quamquam neque hoc ſatis illum excuſat, quum Dio de Theatro dumtaxat verba faciat.

Sed poſtquam M. Conſtantinus, devicto penituſque ſubacto Licinio, Conſtantinopolin Imperii ſedem delegit, eamque Romam alteram appellari voluit; Graeci omnes, qui ei ſucceſſere Imperatores ibidem (donec divino ulciſcente Numine illinc pulſi) domicilium habuerunt. Verum Aulae Conſtantinopolitanae ritus, caeremoniae, officia, quam diverſa ab his, quae Romae

a *Dierum Genial. Alexandr. lib.* IV. *c.* XI. *Edit. Wechel.*

b *Aulus Gellius lib.* III. *cap.* XVIII. *Edit. Gronov.*

c *Del Senato Romano trattato di Conyers Middleton traſportato dall' Ingleſe. Venezia* 1748. De his, in quibus labi aliquando videtur Middletonius, etſi ad libros conſcribendos diligentiam & induſtriam contulerit multam, adi *Jacobi Tunſtall' epiſtolam ad Con. Mid. Cantabrigiae* 1741.

d *Roman. Hiſtor. lib.* LIX. *Recenſion. Xylandri, edit. Henric. Stephani* 1591.

Romae quondam in Auguſtorum aedibus obſervata, & cuſtodita perhibentur! Frequens illic *Sciadii* mentio. Quid fuerit, quibuſque viris illo uti conceſſum, nunc exquiram. Splendide haec diſſeruntur a Georgio Codino Curopolata [a]. Notatione praecipue digna quae ille habet *cap.* III *de Tegumentis capitis &c.* τὸ περικάλυμμα τῆς κεφαλῆς τοῦ δεσπότου τὸ καλούμενον σκιάδιον, ὁ λομέργαρον. ὁ ἀὴρ αὐτοῦ ἔχει ὀνόματα τοῦ φοροῦντος αὐτὸ, χρυσοκλαβαρικὸν, συρματεῖον. *Tegumentum capitis, quo Deſpota utitur, quod Vmbella ſeu Vmbraculum appellatur, totum ex margaritis conſtat. Vmbo, ſeu ambitus praeſert nomina ejus qui geſtat illud, auroclavatum, fimbriatum.* Quae ſi paullo obſcura videntur, plana & aperta evadunt egregia J. Gretſeri commentatione. Σκιάδιον *ad verbum eſt Vmbella, ſeu Vmbraculum; tegumentum capitis, breviter, pileus; quo nomine in verſione praecipue uſus ſum. Aer Sciadii, ſeu pilei, eſt umbo. Junius ubique vertit Replum. Aliam inſuper notionem habet* ὁ ἀὴρ, *ſignificat enim velum, ſeu tegumentum, quo ſancta teguntur* [b]. Χρυσοκλαβαρικὸν. *Iunius hic & alibi ſaepius edit* χρυσοκαδδάρικα, *& aureas virgulas interpretatur. Sed lectio noſtra recta eſt ...... vel ſi mere Latinam dictionem velis;* Auriclavus, *ſeu auriclavatus. Erant autem aurei clavi in veſtibus ſegmenta quaedam in formam clavorum efficta, ornatus gratia veſtibus addicta.* Συρματεῖον. *Fimbriatum, a ſyrmate; quo nomine intelligo utrinque dependentia a Sciadio, ſeu pileo quaſi reticula, ſeu funiculos.* χρυσοκλαβαρικὸν, συρματεῖον, *ut non referantur cum Junio ad voculam* ὀνόματα, *ſed ad ipſum Sciadion.* Ex quibus intellectum puto Sciadion iſtud non Vmbellam fuiſſe, de qua agimus, ſed Pileum. Sciadii autem formam faſtigiatam, & in conum aſſurgentem demonſtrant ſchemmata Imperatorum Byzantinorum adjecta editioni Baſileenſi Nicephori Gregorae [c]. Nihilominus quemadmodum Vmbella ſplendoris dignitatiſque cauſſa perferebatur, ſimili ratione etiam Sciadion, ſive Pileus hujuſmodi capiti imponebatur, ab aulae Optimatibus. Sunt haec ſcripta apertiſſime

a *De officiis & officialibus magnae Eccleſiae & Aulae Conſtantinopolitanae. Cum obſervationib. Jacobi Gretſeri. Pariſiis* 1625.

b Teſtem dat Johan. Chryſoſtomum *in Liturgia*.

c Baſileae 1562. ſunt autem Theodori Laſcaris, Michaelis Palaeologi, itemque Andronici. V. etiam Bandurium. *Antiquit. Conſtantinop. lib.* VIII.

me ab eodem Nicephoro. Περὶ γὲ μὴν τῆς ἐπὶ κεφαλῆς καλύπτρας ἐπὶ μὲν τῶν πρότερον βασιλέων ἔθος, τοὺς μὲν χρόνῳ προβεβηκότας ἐν τοῖς βασιλείοις χρῆσθαι καλύπτραις, πυραμίδοις μὲν ἐχούσαις σχῆμα, σηρικοῖς δ᾽ ἐνδύμασι καὶ τὸ ἀνάλογον ἑκάστῳ ἀξίωμα καλυπτομέναις. *Quod ad capitis tegumentum attinet, apud ſuperiores Imperatores moris erat, ut aetate provectiores Aulici proceres pileis pyramidatis uterentur pro dignitate cujuſque* [a]. Proceres vero hoc loco nonniſi eos, qui *Deſpotae* titulo inſigniebantur, arbitror indicari. Erant ii Filii, Fratres, Generi Imperatoris [b]. Dum vero ceteros aulicos praeſtantiores nomino, Magnum Ducem, magnum Domeſticum, Logothetam, Stratopedarcham, Primicerium, Protoveſtiaritam, Protoſebaſtum, Primum Secretarium &c. intelligo, quorum capitis tegmen ad Schiadii formam accedebat. Quibus jus eſſet utendis Sciadiis docet Codex Mſs. Bibliothecae Regiae ſign. 2023.

Toto hoc in genere id reliquum videtur, ut inquiram an Praetori, in quo ſumma auctoritas, & amplitudo, Vmbella conceſſa atque data ſit; eſt enim locus Manilii Boethii, qui ad conjecturam aliquam faciendam fortaſſe pertinet. Is namque de *Diſciplina Scholarium* haec habet. *Similiter Praetoris Suburbani filium canicula inſtigante litteris vidimus mancipatum; cum autem* SOLITA *non gauderet* VMBELLA, *propria virtute deſtitutus, ictericiae poena permollitus, vitalibus tandem ſpiritibus attenuatus, lymphatico morbo occubuit* [c]. Sed totum hoc, quicquid eſt, quantum ego quidem intelligo, maximas legenti injicit difficultates, neque quod propoſitum erat, ſatis expedit. Ac primo librum hunc non recte Boethio tributum, opus ne eſt ut probem? nota res, eruditiſque viris plane teſtata longe poſt Boethii aetatem ſcriptum, & credulitate inſcitiaque quadam, potius quam dolo ac fraude, inter ejuſdem opera fuiſſe evulgatum [d]. Inſuper, non de Praetore ipſo, ſed de ejus Filio ſermo hic

a *Lib.* XI. *in fin.* Uſitatum id apud Orientales; quo adduci poteſt illud ex Hiſtoria Petri Patricii in *Biblioth Byzantin. Scriptor. tom* I. ὅτι Δεκέβαλος πρὸς Τραϊανὸν πρέσβεις ἔπεμψε πιλοφόρους (οὗτοι γάρ εἰσι παρ᾽ αὐτοῖς οἱ τιμιώτεροι) *Decebalus miſit ad Trajanum legatos ex his, qui pileos ferunt hi enim apud ipſos* Parthos *ſunt honoratiores*.

b Bulengerus *de officiis & dignitatibus utriuſque Imperii lib.* VIII. *cap* I. πῖλον non ſemel appellat Catacuzenus *lib.* III. *cap.* XXVII.

c *Lib.* I. *cap.* I. *Edit. Baſileenſ.* 1570.

d *V. Fabricium Bibliotheca Latina tom.* II.

hic eſt, qui quamvis Vmbellam geſtare *conſueverit*, id minime praeſtabat honoris ergo, velut homo ex familia in altiſſimo dignitatis gradu poſita, ſed ut aëris intemperiem (& quemadmodum perſonatus hic ſcriptor ait) *comburentis aeſtatis profunditatem* defugeret. Locus itaque revocandus ad ea Vmbracula, quae in peregrinationibus, aut deambulatione, adipiſcendi commodi cauſſa, deportabantur, de quibus mox dicere aggrediar [a].

CAPVT SEXTVM.

Vmbellae in Theatrum penes Romanos advectae. Ex Campanorum lautitia morem profluxiſſe Vſus Vmbraculorum in Deambulatione. Ovidii, Martialis, Claudiani, & Ariſtophanis carmina, quae eo adducuntur. Similiter in Peregrinationibus, ac Venatione. Sponii judicium de Mercurii Petaſo refellitur. Nummus ΑΙΤΩΛΩΝ *quid referat? Servi Inquilini apud Graecos Vmbellae deferendae addicti.*

NUllum in Romanorum educatione atque diſciplina tam ſollemne, tamque frequens praeceptum, quam illud, quo ſcientia rerum perferendarum tradebatur. Quare optimis Reip. temporibus cibi minimi, & vulgares, frequentior pultis uſus, quam panis, veſtes pellitae, & incomptae, dolorum contemptio, laborumque perpeſſio laudatiſſima. Romanum erat nec toro quidem cubare, niſi humili & modice inſtrato; in aprico ſpatiari; capite nudato apertoque incedere, aut veſtis laciniam vix in caput rejicere (quod ceteroquin Petronius vitio vertit Trimalcioni) [b]; ut his laborioſis exercitationibus, quemadmodum ſcribit Tullius, ſi dolor incurreret nonnumquam, ipſe labor quaſi callum obduceret dolori. Sed quum

 natio

a Expoſui fere, ut potui, quae maxime ad Vmbellae dignitatem pertinere arbitrabar. Vnum etiam fortaſſe reſtat: quaenam ſignificatio ſubſit Vmbellae *Inſignibus Gentilitiis* quandoque adjectae. Galli, Germanique Scriptores, qui de Stemmatum ratione, vulgo *Blaſone*, diſputant, nihil habent, quod exſcribam; ſed inter Italos Eques Beatianus nonnihil adnotavit in ſuo *Araldo Veneto pag. 192. L' Ombrella di vermiglio in campo d' argento ſimboleggia Dominio, e Autorità indipendente, e Difeſa di vera Amicizia.*

b *In Conviv Trimalcion. Pallio concinne abraſum incluſerat caput. Edit. Burmanni.*

natio illa fortiſſima coepit molliſſimis cogitationibus effeminari ; quicquid erat boni moris levitate , lautitia , & politura corporum , veluti exſtinxit [a] . Atque tum potiſſime doluit Reſpublica quum videret cenas portentiſſimis ciborum generibus apparari , pecuniam omnem pretioſis veſtimentis conquirendis effundi , totamque exterorum luxuriem in Latium migrare [b] . Hinc qui primum in Theatro ſtantes ludos ſpectare [c] , & ſub dio eſſe [d] conſueverant , modo vela ſuperduci arcendo aeſtui , & ſoli juſſere . Sed unde id Romam advectum ? Ex campanorum conſuetudine , quorum maximum in Scenicos ludos ſtudium fuit , atque Q. Catulum in AEdilitate ſua adduxiſſe referunt Valerius Maximus [e] , Plinius [f] , Ammianus [g] , quorum primus haec habet . *Religionem Ludorum creſcentibus opibus mox ſecuta lautitia eſt : ejus inſtinctu Q Catulus Campanam imitatus luxuriam , primum ſpectantium conſeſſum velorum umbraculis texit .* At quae ego curſim perſtringo , jamdiu rerum delectu copioſe, & verbis ornatiſsimis Cl. Mazocchius , aureo ſane libro , complexus eſt [h] . Lautitia vero eo proceſsit , ut vela haec aliquando carbaſina , vel ſerica eſſent [i] : & a Xiphilino accepimus , Nerone imperante , vela purpurea ſtellis aureis interſtincta Thea-

a *Seneca Quaeſt. Nat. cap.* VII. *Ameſtelod.* 1672.

b Pertinent huc *Leges Sumptuariae* , quae ſcilicet ſumptus finem modumque ſtatuunt ſaluti Reipublicae attemperatum , ut Lex Orchia , Fannia , Didia , Licinia, Cornelia , Aemilia &c. V. *Diſſertationem Politicam* Joh. Tilemann *Schenck. de Legibus Sumtuariis . Marburgi Cattorum* 1724.

c Populum aliquandiu ſtantem ludos ſpectaſſe tradit Livius *lib.* XLVIII. aut ſi fuere gradus , caeſpititii erant . Ovid. *de Arte lib.* I.

In gradibus ſedit populus de caeſpite factis .

d Johannes Chryſoſtomus de Theatro Conſtantinopolitano , ſumma dicendi vi , Ethnicorum patientiam , imo inſaniam miſerans : καὶ ἐν μὲν τ' ἱπποδρόμῳ οὐκ ὀρόφου ἐπικειμένου τούτου στέγοντος , οἱ πλείους πολλῶν ὄμβρων καταφερομένων , καὶ ἀνέμου τὸ ὕδωρ εἰς ὄψεις ῥιπίζοντος ἑστήκασι μαινόμενοι . *Et quidem in circo ubi non operit ſuperpoſitum tectum plurima pars imbres deciduos tollerat , & ventum , a quo imber in vultum ventilatur .* (*Homil. quod non ſit contemnenda Eccleſia . Edit. Pariſien. Montfauconii .*)

e II. IV. *Leidae* 1726.

f XIX. I. *Edit. Harduini* 1741.

g XIV. XIV. *Lugdun. Batav* 1693.

h *Commentarius in Mutilum Campani Amphiteatri Titulum . Cap.* VIII. *Neapoli* 1727.

i Vela Carbaſina quae primus in Theatro duxit Lentulus Spinter commemorat Plinius *loc. cit.* Sed Dio lib. LX. dum enumerat res geſtas a Nerone iis diebus , quibus Tiridati Armeniae regnum conceſſum eſt , ſic ſcribit · Ταγὲ μὴν παραπετάσματα τὰ διὰ τοῦ ἀέρος διαταθέντα , ὅπως τὸν ἥλιον ἀπερύκοι , ἁλουργὰ ἦν , καὶ ἐν μέσῳ αὐτῶν ἅρμα ἐλαύνων ὁ Νέρων ἐνέστικτο . Πέριξ δὲ ἀστέρες χρυσοῖ ἐπέλαμπον . *Vela in aere extenſa , ad arcendos Solis ardores , purpurea erant : Horum in medio Nero acupictus currum agitabat : circa hunc undique ſtellae aureae refulgebant .* Quae verba exſcripſit Xiphilinus *in Nerone pag.* 186. *Edit Henric. Steph.* 1592.

Theatrum obtegiſſe[a]. Sed quum ventus, incerta ſui redundantia, antennas in altum erigi, his vela alligari, expandi, funibuſque ſuſtentari non raro vetaret, vel nimium fluitantia vela ſolem admitterent, tunc certe alio quodam tegumento Romanos uſos fuiſſe oſtendunt Martialis carmina [b]; a quo etiam didicimus hoc tegumentum Vmbellam extitiſſe.

Accipe quae nimios vincant Vmbracula Soles
Si licet, & ventus, te ſua vela tegant[c].

Quae verba apertius explanat Domitius Calderinus: *Vmbella erat exiguum tentorium, quo ſinguli tegi poterant, unde diminutivum accipit ab umbra: Uſui erat cum flante vento ſpectacula edebantur in Theatro, nam vela ſuperiora omnibus communia agitata ſolem admittebant. Tua vela, ideſt tua Vmbella*[d].

Atque hoc in genere mirum mihi non videtur, quod hi, qui cuticulae curandae erant ſtudioſiores Vmbella ſimiliter uterentur in deambulationibus. Ovidius ubi Herculem irridet in amore apud Omphalem miſere haerentem, illum Vmbraculo quodam Solis aeſtum ab amaſia arcentem deſcribit[e].

Aurea pellebant tepidos Vmbracula Soles,
Quae tamen Herculeae ſuſtinuere manus.

Alio loco amatorem hortatur, ad captandam puellae gratiam, ut apud eam hoc miniſterii & officii obeat genus[f].

Ipſe tene diſtenta ſuis Vmbracula virgis;
Ipſe face in turba, qua venit illa, locum.

Adde huc & illud Martialis[g].

Vmbellam luſcae Lyde feras Dominae.

Neque reticere poſſum Claudianum, qui ejus moris apud Romanos meminit *lib.* I. *in Eutropium* Eunuchum.

* * * * * * *jam non Vmbracula geſtant*
Virginibus * * * * * * * * * * * * * * * *

Tum etiam de IIII. Conſulatu Honorii, Imperatorem magnopere hortans ad bellicos labores omnes perferendos, & ad delica-

a Quod modo enarravimus.
b *In Pompejano tectus ſpectabo Theatro,*
Nam populo ventus Vela negare ſolet
lib. VI. *Epig.* XXIX.
c *Lib.* IV. *Epig.* XXVIII. *Edit. cum Not. Varior.*
d Ad hunc locum.
e *Faſtorum* II.
f *De Arte* II.
g *Lib.* II.

licatorum mollitiem atque teneritatem fugiendam, ita alloquitur.

Neu pluviis cedas, neu defenſura calorem
Aurea ſummoveant rapidos Vmbracula Soles.

De Graecis non dubito quin eadem de cauſſa ſuas Vmbellas praeſto haberent. Certe actor ille apud Ariſtophanem, ΟΡΝΙΘΕΣ, dum ſub dio ſpatiatur, Deorum ſuorum Providentiam ad ridiculum convertens, ſervum ſic affatur.

τουτὶ λαβὼν μου τὸ σκιάδειον ὑπέρεχε
Ἄνωθεν, ὡς ἂν μὴ μ᾽ ὁρῶσιν οἱ θεοί
Hanc accipe Vmbellam, atque ſuſtine
Supra me, ne me conſpiciant Dii.

Peregrinationibus tandem & Venationi quum veteres indulgerent, ut umbram aliquam ſibi factitarent, natura ipſa edocebantur. Sane Mercurio, qui Deorum nuncius habitus eſt, Petaſus concedebatur, ſeu galericulus, cujus alae umbram projicerent, ne his, quae aeſtuoſa ac pulverulenta quandoque via conficiebat, itineribus nimium deferveſceret; ſeu, ut eſt apud Arnobium: *Cum Petaſo Gnatus Majae, tanquam vias aggredi praeparet, & Solem, pulveremque declinet* [a]. De hoc tegumenti genere egimus eo libro, quo Mercurii inſignia a nobis illuſtrata ſunt [b]. Sed a Sponio recedimus, quod nimium tribuere videatur auctoritati Alberici Philoſophi, qui Mercurii Petaſum Vmbellam vocat [c]: Qua de re multo plura erunt a nobis inferius dicenda: perſpicuum ſiquidem illum vocabulis abuti, dum Pileo parem facit Vmbellam. Vtriuſque figuram diſſimilem extitiſſe, ut eſt hodiedum, res ipſa eloquitur. Quocirca galericulos hujuſmodi peregrinantium, latos, atque diſtentos, non Vmbellas, ſed *Pileos umbellatos* cum Milzovio [d] appellabo. Recenſuimus praeterea, eodem libro Nummos duos, alterum apud Aetolas, alterum apud Cyrenaeos percuſſum [e].

In

a *Lib.* VI.

b *Citat. initio praefationis.*

c *Recherches Curieuſes d' Antiquez. Diſſert.* XXIX. *a Lyon* 1683.

d *Jani Milzovii Pileus Libertatis Hafniae* 1688.

e Vtrumque evulgavit Laurentius Begerus. *Obſervationes & Conjecturae in Numiſmata Coloniae Brandeburgicae* 1691.



In priori Apollo eſt venatoris more indutus, armiſque inſtructus, ſed utpote flavicomus & delicatulus, ſecus ac ceteri venatores, qui, teſte Tullio, in montibus ſe uri patiuntur, pileum valde amplum pone humeros defert ad Solis aeſtum arcendum. In altero Apollo equo vectus Petaſum eodem modo deportat. Tertius latine loquens addi poſſet *Caeſaris Auguſti F.*, in cujus poſtica parte Apollo pſallocithariſta in propatulo loco ſaxo inſidens pileum habet poſt terga rejectum, quem, ſi fas erit, capiti imponat. Verum haec tegumenta, ut ante ajebam, improprie Vmbellis accenſebis; hoc tamen adnotabo Sebaſtianum Ericium [a] cenſuiſſe non pileum, ſed *Arcum* eſſe, qui ad terga Apollinis dependet. Sed qui ita judicat, nummum aut nimis detritum, aut parum conſiderate intuitus eſt. Optimi typi eſt, quem hic proferimus, atque ex plicaturis, quae manifeſte in oculos incurrunt, totiuſque circuitus forma, pileum eſſe nemo non videt. Deſumpſimus autem ex archetypo in Muſeo Apoſtoli Zeni, magno ingenio viri, imprimiſque clari, a quo ad haec ſtudia eruditi atque docti fuimus [b].

Ac ſi jam placet Graecorum cognoſcere arrogantiam, quantopere fama, ampliſſimiſque fortunis abuterentur, animum advertamus a quibus illi Vmbellas deferri jubebant. His, qui e peregrina quavis regione Athenas adveniebant, perpetuum domicilium in Vrbe habere abs Areopagitico Concilio permittebatur, & Μέτοικοι *Inquilini* vocabantur. Verum ita infimorum hominum genus hoc cenſebatur, ut inquilinis nullo publico munere defungi concederetur; imo nec proprio nomine negotia obire; quare in Civis alicujus clientelam ac patrocinium

a *Diſcorſo ſopra le Medaglie. Venezia* 1559.

b Obiit is magno cum bonorum omnium moerore, & litterariae Reipb. damno IV. Non. Novembr. MDCCL. aetate admodum provecta, in honore apud omnes habitus.

cinium ſe conferre ac comittere oportebat [a]. Varia ab hoc novo ſervorum genere obſequia & munia exigebant Athenienſes, atque inter alia, ut eorum Virgines Matronis Vmbellas deferrent, maxime quum ſpectacula ederentur. Legimus haec diſertiſſime apud Aelianum. *Αθηναῖοι δὲ ὕβρισαν καὶ ἐκείνην τὴν ὕβριν. Ευτύχιας γὰρ λαβόμενοι, τὴν εὐπραγίαν σωφρόνως οὐκ ἤνεγκαν. Τὰς γοῦν παρθένους τῶν μετοίκων σκιαδηφορεῖν ἐν ταῖς πομπαῖς ἠνάγκαζον ἑαυτῶν κόραις τὰς δὲ γυναῖκας ταῖς γυναιξὶ, τοὺς δὲ ἄνδρας σκαφηφορεῖν. Athenienſes vero etiam hanc exercuerunt inſolentiam. Nacti enim meliorem fortunam, non tulerunt modeſte illam felicitatem. Inquilinorum itaque puellas adigebant, ut Vmbellas ſuis mulieribus in pompis praeferrent, viri vero in iis Scaphas geſtarent* [b]. Fuiſſe autem apud Romanos inter Ancillas ac famulas eam cujus hoc officium praecipue eſſet praenobiles Matronas inſequi, umbellamque geſtare, memorat Pignorius in commentario de Servis. Sed ſatis jam his immorati ſumus; pergo igitur ordine, quas propoſui, ceteras diſputationis partes explicare.

CAPVT SEPTIMVM.

Vmbellarum uſus in Balneo Subdiali. Figurae, & imagines, quibus obducitur extima Etruſci Vaſis ſuperficies, partite explicantur. In antica ejuſdem facie Vmbella. De Flabellis, & Muſcariis opportuna digreſſio. Vas ipſum oenophorum, & potatorium fuiſſe. Num Vmbellae uſus ab antiquiſſima Etruſcorum gente ad Romanos dimanarit?

NOlam Campaniae Vrbem, ante paucos annos quum diverdiverſiſſem, antiqua illius monumenta contemplaturus; nihil fuit quod jucundiſſima oblectatione ita me raperet, quam ampliſſima collectio operum Figulinorum, quae ingenti ſane expenſa Vir Patricius, idemque humaniſſimus Felix Maſtrillius conquiſivit, atque comparavit. Dies me deficeret ſi ingentem illam ſupellectilem ſuſciperem verbis, diligenterque deſcribendam

a *Ariſtot. Politic.* III. 1. *Pariſ.* 1654. b *Varia Hiſtoria lib.* VI. *cap.* I. *Edit. Gronovii* 1731.

bendam : innumera enim pene ſunt vaſcula cujuſvis generis, crateres, cyathi, amphorae, malluvia, paterae, dijotae, atque omnia egregiis picturis praeſtanti elegantia, & pulchritudine Saguntinis, Corinthiacis, Samiiſque fere anteponenda. Horum pars magna vel in cretifodinis, vel in agris a foſſoribus, non procul ab Vrbe ipſa, reperta eſt; ut facile animum inducas ad credendum Figularem officinam, eamque eximiam ac Collegium Vaſculariorum Nolae quondam extitiſſe [a]. Ex hac praeclara collectione *Sextarium* potatorium deſcribendum accepimus, quod in ipſa libri ingreſſione lectori conſpiciendum damus, utpote quod de Vmbellae uſu in Balneis indubitato modo admoneat. Tota ipſius ſuperficies figuris, rebuſque obducitur, quae varia Balneorum inſtrumenta patefaciunt, commode diſpoſita eorum gratia, qui lavatum veniunt.

Prima facies ante oculos hominem proponit Vmbraculum deferentem, cum immiſſis utrique brachio Armillis, qui recta contendit verſus Mutulum quemdam, cui Abacus impoſitus eſt. Porro multae in Thermis extabant hujus generis menſulae, ſive ut veſtes insternerentur [b], ſive ut ſuperponerentur elaeophora, & gutti unguentarii, quorum tanta apud veteres profuſio. Pone hunc hominem Caudex aut ſaxea moles, cui inſideret longa ſtatione defatigatus. Hinc anſulae duae parieti inhaerentes, e quibus praelongum illud Sudarium dependet. Altera Vaſis facies hujus actionis exitum, reique abſolutionem minutim exhibet, ut nullum ferme ſit monumentum, quod ita omnia eleganter, enucleateque patefaciat. Vir ille e Balneo

F egreſ-

a Genus hoc vaſculorum Thuſcanicum dici aſſolet; cujus quidem cognominis ea cauſſa eſſe poteſt, quod vaſa ficta luto in Etruria primum (quum de Italia eſt ſermo) coeperint elaborari. Plinius *lib.* xxxv. *cap.* xii. *Sunt qui in Samo primos omnium Plaſticen inveniſſe Raechum & Theodorum tradunt, multo ante Bacchiadas Corintho pulſos. Demaratum vero ex eadem Vrbe profugum, qui in Etruria Tarquinium Priſcum Regem Pop. Romani genuit, comitatos fictores Euchira, & Eugrammum, ab iis Italiae traditam plaſticen. Dibutatis inventum eſt rubricam addere .... Praeterea elaboratam hanc artem Italiae, & maxime Etruriae.* Quae in conviviis apponebantur, hujuſmodi fuiſſe ex Juvenali *Sat.* xi. diſcimus

Ponebant igitur Thuſco farrata Catino
Omnia tunc.

Etruſca etiam appellari poſſent monumenta fictilia, quae in agro Nolano reperiuntur, quod Vrbem illam ab Etruſcis conditam ſcribat Velleius Paterculus *lib.* I. *cap.* VII. *Argentorati 1662.*

a In Thermis manufactis veſtes in Spoliatorio, ſive Apodyterio exuebantur, deputatis ibi pueris, vel capſariis, qui eas ſervarent, nam quamvis fures Balnearii morte plecterentur, eorumque furtum par ſacrilegio haberetur; tantae eorum inſidiae, ut facile veſtes ſubriperentur, ni cuſtodiendae caute tradebantur.

egreſſus, arrepta ambabus manibus Mappa, poſterganeam corporis partem abſtergit exſiccatque. Sed extrema lintei ora, ne humi repens ſordeſcat, unco utrinque ſuſpenditur columnae immiſſo. Dextrorſum vero Abaculus alter viſitur, ſeu potius Monopodium, fulcro terrae confixum, quod ipſo in Balneo facile loco moveri tranſportarique poſſit. Huic proxime parva rudiſque ſtrues, quam ſi ſpongiam dixero, facile conſentient, qui ſupellectilem Balneariam in ejuſmodi vaſculis non raro depictam viderunt [a]. Siniſtrorſum Cippus columellae in modum, ſive imus columnae ſcapus cum ſtylobata: neſcio quid deſuper jacet, quod induſium involutum, aut tunicam complicatam haud aegre credam [b]. Quid dicam de Pertica, quae ultra columnam erigitur, & recta prominet? quid de Trochlea tranſverſo ipſius jugo colligata? conſulto haec adjecta, quo amplum illud Sudarium facile in ſublime attolli, & in modum veli obtendi poſſet; atque ſub eo umbraculo conſideret, qui illic lavari ſtatuerat. Quorſum enim funiculus ille, qui a laeva hominis dependens, niſi ut ejus miniſterio pannus linteus conſtringi & altius efferri liceret? Sane in hanc ſententiam ratio ipſa nos ducit nam ſi, more antiquo, in Balneo ſubdiali nos eſſe oporteret, velis quibuſdam umbram parare, natura ipſa impelleremur. Supereſt, ut de Diſco globulis circumquaque exornato, qui eminet, capulo ſuo vel inter veſtium plicaturas, vel in columnam infixo. Non ego hic quidpiam de Patera excogitabo, qua *Genio Fontis*, aut *Deo Loci Cuſtodi*, ſacrificaretur. & lotione percepta, libamenta funderentur. Neque ſpeculum, quod aliis placet hic deprehendo. Quamvis ſpecula per ſummam luxuriam gemmis perornarentur [c], attamen ſcabritiem & aſperitudinem in tota hujus inſtrumenti area percipio, ut qui illo uteretur, nec ſui ſpeciem poſſit intueri, neque illud ſibi in conſilium adhibere. Quid itaque? *Flabellum* eſſe

a Exſtat in Bibliotheca Cl. Reg. SS. Apoſtolorum Neapoli Vas Thuſcanico artificio, in cujus antica parte, hinc Vir pallio obvolutus ſtrigilem manu tenens, inde Mulier Spongiam Viro porrigens; in poſtica Concha, & Guttus. Huic fere ſimile eſt apud Gorium.

b Ex his quae mox diximus, in altera adnotatione.

c Seneca ſui temporis lautitiem reprehendens. *Quaeſt. Nat. lib.* 1. *cap.* XVII. *Specula gemmis adornata ſunt, & pluris unum ex his Feminae conſtitit, quam antiquarum dos illa, quae publice dabatur Imperatorum pauperum liberis.*

eſſe arbitror (cujus imago perfrequens in vaſculis Thuſcanici operis) quo ventilatio fieret aeſtu anni flagrante ad caloris incommodum propulſandum vultumque refrigerandum, ſive ad muſcas abigendas. Praeclare huc faciunt verba actoris illius apud Terentium [a]: *Heu Tu Dore, cape hoc Flabellum, & ventulum huic facito, dum lavamur*. Quod quum ita ſit, minime fortaſſe a propoſito digredietur oratio noſtra, ſi nonnihil de Flabellis attexam. Inde quod Vmbellae & Flabella copulentur, ne dum in his, quae attulimus, ſed in aliis bene pluribus monumentis, ex alio aliud veluti nectitur.

Ac primo Gregorius Nazianzenus luxum, nimiamque mollitiem vituperans, pueros memorat, qui heris accumbentibus tenues gratoſque ventos Flabello excitarent convivis menſae unguentis perfuſae aſſidentibus, τοὺς δὲ ὑπὲρ κεφαλῆς ἄνεμον ταῖς ῥιπῖσι *ſuper capita* (convivarum) *flabellis ventum excitantes* [b]. Verum ſi memoria res antiquas repetere quis velit, longe ante Gregorium hoc in more poſitum inveniet. Ovidius [c]

Profuit & tenues ventos moviſſe flabello.

Hinc Pignorius in Commentario de Servis [d]: *Inter ancillas conſpicuae fuerunt Flabelliferae, quarum meminit Plautus. Flabellum autem domi Eunuchorum fuit, ut indicat nobis Eunuchus mentitus Chaeream Terentianus, & Claudiani Eutropius*. Locus Claudiani is eſt, ubi narrat Eunuchum Auguſtae famulari, & flabello auram ciere.

Et cum ſe rapido feſſam projecerat aeſtu,
Patricius roſeis pavonum ventilat alis [e].

Pergit Pignorius: *aliquando etiam mulierculae alicujus, velut illius apud Martialem lib.* III. *Epigr.* LXXXII, *quae praſino flabello tenue ventilabat frigus Zoilo aeſtuanti* [f]; *& hinc D. Hieronymus inter ancillarum officia enumerat Flabellum tenere* [g]. Sed quod de officio pueri vel Pocillatoris carpit Gregorius, factum etiam ad muſcas a menſa abigendas diſertis verbis adnotat Martialis [h]

a *In Eunucho* III. *Scen.* V. *Edit. Boecleri*.
b *Orat.* XVI. *Edit. Colon.* 1690. Cur Billius non *Flabellis*, ſed *Follibus* verterit ταῖς ῥιπῖσι plane ignoro.
c *De Arte* I.
d *Pag.* 422. *Edit. Amſtelod.* 1674.
e *Loc. cit. Amſtelod.* 1665.
f *Et aeſtuanti tenui ventilat frigus*
Supina praſino concubina flabello,
Fugatque muſcas myrtea puer virga.
g *In Epitaph. Paullae. Romae* 1576.
h *Lib.* XIV. *Epigr.* LXVII.

Lambere quae turpes prohibet tua prandia muſcas
Alitis eximiae cauda ſuperba fui.

Praeeunte Martiale nonnihil obſervant Ciaconius *de Triclinio* [a], & Vrſinus in appendice ad eumdem [b]: ceterum hoc munus ſervorum delicatorum fuiſſe ait Stuchius [c], & Donatum ſententiae ſuae auctorem profert [d]. Inter deambulandum aeſtivo tempore quis dubitet & ſcitulas puellas, & venuſtulos adoleſcentes illum prae manibus geſtaſſe? conſtat ex illo Ovidii [e].

Vis tamen interea tenues arceſſere ventos,
Quos faciunt noſtra mota flabella manu.

Eſt alterum apud Dionyſium Halicarnaſſeum luculentiſſimum teſtimonium, ex quo diſcimus effeminatam juventutem, Ariſtodemo inſtigante, in pompis, ludiſque Vmbellam, & Flabellum detuliſſe. Poſtquam deſcripſit turpiſſimas libidines, quas Cumis exercuit Ariſtodemus, & pueros indutos, more virginum, pictis tunicis talaribus, qui comas reticulis, floribus, taeniiſque religabant, de his ita ſcribit: ἠκολέθουν τὲ αὐτοῖς εἰς τὰ διδασκαλεῖα τῶν ὀρχηςῶν καὶ αὐλητῶ, καὶ τῶν παραπλησίων τέτοις μουσοκολάκων, παραπευόμεναι παιδαγωγαὶ γυναῖκες σκιάδια, καὶ ῥιπίδας κομίζουσαι. *Gymnaſium ſaltationum ingredientes ad modos Citbariſtarum. & aliorum muſicarum illecebrarum artificum, eos comitabantur pediſſequae mulieres* VMBELLAS *&* FLABELLA *geſtantes* [f]. Quid plura? ubi opus erat Vmbraculo, ibi & Flabello. Quamobrem Libero Patri, dum vino caleret, ſaepe tribuitur a Nonno in Dionyſiacis, cujus verba, cauſſa brevitatis praetermitto. Qua vero materia conſtarent muſcaria perſpicuum videtur ex allato Martialis diſticho; tum ex Propertio [g].

Et modo Pavonis caudae flabella ſuperbae.

Porro in antiquis picturis hanc formam referre conſpicimus; ſed haec fortaſſe elegantiora. Papyracea, ſerica, vel etiam gra-

a *Pag.* 19. *Edit. Amſtclod.* 1664.

b *Pag.* 274.

c *Antiquitat. Convivial. lib.* II. *Tiguri* 1582.

d Confer Joſephum M. Suareſium Epiſcopum Vaſionenſem in Diatriba *de Flabellis Pontificiis & Muſcariis Pavoninis data Vaſioni* VIII. *Kal. Junias* MDCLII.

e *Amor* III. II.

f *Antiquit. Roman. lib.* VII. *Edit. Sylburgii Francofurti* 1686.

g *Lib.* II. *Eleg. ad Demophoontem. Pariſiis* 1685.

graminea fuiſſe, ex varia earum figura, concinnitate, atque ornamentis conjiciet, qui paullo attentius Vaſcula, Gemmas, Anaglypta intuebitur [a]. Si vero moris originem ſcruteris, admonet apud Euripidem actor ille Phrygius, qui cum Helena Troja advenerat, a Barbaris in Graeciam tranſvectum.

Φρυγίοις ἔτυχον Φρυγίοισι νόμοις
Παρά βόσρυχον αὖραν αὖραν
Ελένας Ελένας ἐυπαγεῖ κύκλῳ
Πτερίνῳ πρὸ παρῆιδος ἀίσσων
Βαρβάροισι νόμοισιν.
Juxta Phrygium morem,
Ad caeſariem ventulum ventulum
Ante genas Helenae Flabello
Bene compacto, pennato faciebam,
Barbaro more [b].

Nunc eo, unde digreſſa, referat ſe oratio. Mirari quis poterit cur adeo fidenter vas iſtud *Sextarium* appellarim. Non fortuito dixi, ſed comperta cauſſa. Primum pro certo pono, atque confirmo Vaſculorum veterum picturas ad eum referri uſum, cui addicebantur; ut quidam ſit picturae & uſus reſponſus. Eſt id conſentaneum naturae, atque rationi, qua omnes homines ſemper praediti fuere, omniumque mens in id conſentiens ac pene conſpirans. Neque enim mortuariam pompam, & funebrem luctum effingi mandaremus in lance eſcaria, aut cyatho menſae, convivioque apponendo; nec in capſula oſſuaria natalis diei feſta, atque ritus; nec in ſympulo rei ſacrae faciendae ſcurras & mimos: Quare ſi Vaſculi hujus picturae lavationis apparatum exhibent, vas ipſum Balneo addictum fuiſſe non ambigo. Vaſis autem moles & capacitas, quas diligentiſſime expendimus, *Sextarium* eſſe, qui vini cyathos duo-

a Dum Bibliothecae Vaticanae pictos Codices perpenderem, adverti oculos ad ingens Volumen Gemmarum Antiquarum, quas Sanctes Bartoli accurate delineavit, & Eques Petrus-Leo Ghezzius eidem Bibliothecae dono dedit. Num. CLXXXII. viſitur Hermaphroditus, & Num. CLXXXIV. Venus, quibus adſtat cupido flabellum veluti manu excutiens, ſed in utraque Gemma videtur muſcarium eſſe magnae cujuſdam plantae folium; concinnius quidem, quam in Stoſchiana allata capite II. In Muſeo Veronenſi Tab. I. num. V. Sarcophagus eſt Vlpiae Marcellinae, cui adſtat Ancillula cum Flabello haud multum abſimili.

b *In Oreſte Act. V. Scen. I. Edit. Baſileae* 1558. Flabellum, quo Phrygius homo ventilabat Helenae, orbicularem fuiſſe patet legenti.

duodecim contineret omnino ſuaſit [a]. Capaciores ejuſmodi calices afferebantur non ſolum quum epulum daretur, ſed ipſis in Thermis, ut quorum vires lavacrum enervabat, haud parca vini potio reficeret, atque redintegraret. Morem hunc acuto dente carpit Martialis dum ſugillat hominem, qui primum Thermarias potationes exprobraverat, ſed factus opulentior, eodem in vitio fuit [b].

Frangendos calices, effundendumque Falernum
Clamabat, biberet qui modo lautus eques.
A ſene ſed poſtquam Patruo venere trecenta,
Sobrius a Thermis neſcit abire domum.

Id ipſum Juvenalis probro vertit homini jam jam caneſcenti, qui balnea, & Thermas, quo intemperantius potaret, frequens adibat

* * * * * * * * *Damaſippus ad illos*
Thermarum calices inſcriptaque lintea vadit,
Maturus bello Armeniae Syriaeque tuendis
Amnibus & Rheno, atque Iſtro [c].

Haec omnia ne reticeremus auctor fuit Cl. J. B. Paſſerius homo nobis, & ſtudiis iiſdem & vetuſtate amicitiae conjunctus: ac libenter morem geſſimus Archaeologo huic doctiſſimo, cui primae ſine controverſia tribuuntur [d].

At quoniam de Etruſcorum operibus hoc capite diſſeruimus; reſiduum ergo videtur, ut dicam num ab his vetuſtiſſimis populis Vmbellae uſus ad Romanos dimanarit. Gorius noſter, quem peramanter ubique nominamus, ita certum putat, ut ne in dubium quidem illi veniat. *Flabellorum uſum* (ita ille), *quod etiam de Vmbellis dicendum, ad vitandum Solis aeſtum, & imbres Romanos ab Etruſcis noſtris accepiſſe perſpicue conſtat* [e]. Multa quidem ab Etruria *matre & genitrice ſuperſtitionis* [f] ad reliquas

a Conſule *Budaeum de Aſſe edit. inter* Scriptores *Rei Nummariae Amſtel.* 1692. 1. *Caſp. Eiſenchmidium de* Pond. *& Menſ. cap.* II. Sect. II. *Argentorat.* 1737.

b *Lib.* XII. *Epigr.* LXXI.

c *Sat.* VIII. *Not. Varior.* Paris 1613.

d Vaſculorum Etruſcorum opificium, colores, picturas ſtudioſe & exquiſite is explicavit in Diſſertatione *de Genio Domeſtico pag.* 9. *& ſequent.* v. Syntagma *Antiq. Monum.* Florentiae 1744.

e *In Muſeo Florentino Tom.* 1. *not. ad Tab.* LXXXVI. *pag.* 158. *Gemmae Claſſe* IV. *Tab.* LXXXII.

f *Arnobius Adverſus Gentes lib.* I.

quas nationes ſunt propagata ; ſed de hujuſmodi ritu , hoc tantum ſuccurrit argumentum , quod Vmbella in veterrimis monumentis gentis illius , quae Romanam aetate anteceſſit , picta conſpiciatur .

CAPVT OCTAVVM.

Antiqua Vmbellae forma . Virgis mobilibus contrahi , atque diſtendi . Teſtudinatam aliquando fuiſſe . Albericum , & Anacreontem perperam huc accerſiri . Mulierum capilli ſic conformati , ut Vmbellae vicem praeſtent . Sudaria , Lintea , Veſtes ad umbram faciendam arboribus alligata . Foliis Palmae bifidatis Vmbellas conſici , ſed eae agreſtes . Elegantiores omni luxu , & ornatu . Locus Juvenalis ab interpretibus vexatus explicatur .

VEreor fore aliquos , qui me praepoſtero ordine diſputationem perturbaſſe credant , quum in hunc extremum locum rejectum legerint , quod fortaſſe a primo tractandum videbatur . Atque id facilius judicabunt , qui illud Tullii memoria retinent in omnibus primum rei naturam eſſe conſtituendam , ejuſque proprietates apta definitione aperiendas . Sed ſummo in errore verſantur , qui nos ſic coarguunt : imo ut omnia diſtincte , & ordinate diſponerem , de Vmbellarum forma diſputare in hoc tempus reſervavi ; alias , quae ſeorſum erant dicenda , ac paullatim explicanda , omnia ſub ipſo lucubrationis ingreſſu fuiſſent legentium oculis objicienda . Tum etiam in propoſito ſuſceptoque conſilio permanſi , quod evidenter perſpicerem futurum , ut Vmbellarum deſcriptio ex antecedentibus ſponte ſua efflueret atque manaret . Quare hoc loco perſpectam legentibus eſſe jam quum cenſeam , non eam tradere , ſed dicendo amplificare , & novis animadverſionibus locupletare aggredior . Quae igitur fuerit Vmbellae forma ac figura ex ipſis eruditae vetuſtatis monumentis petendum arbitror , non ab his quae Pictores noſtra aetate pro ingenio excogitarunt .

runt[a]. Vas Nolanum, & Gualterianum, CAP. II. deſcripta, ſatis patefaciunt ad noſtrarum Vmbellarum formam proxime acceſſiſſe. Verum Gemma, quam ibidem protulimus argumento eſt Vmbellas etiam in faſtigium erectas, atque acuminatas in modum hemiſpherii aliquando extitiſſe; & opus Teſtudinatum fuiſſe arbitror ex paullo ſolidiori materia, quod unico fulcro ſuſtentaretur. Quam equidem formam ceteris vetuſtiorem eſſe aſtruit Julius Pollux, *θολία δ' ἐκαλεῖτο πλεγμα τὶ θολειδές, ᾧ ἀντὶ σκιαδίυ ἐχρῶντο αἱ γυναῖκες. Teſtudo autem dicebatur contextura quaedam inſtar teſtudinis plicata, qua, ante Vmbraculum inventum, utebantur mulieres*[b]. Ex monumentis autem Perſarum, quae CAP. V. indicavimus ante omnium oculos poſitum credo Vmbellam etiam penes antiquos fulcris, virgiſque mobilibus ſuſtentari, quorum ope ea vel contraheretur, vel diſtenderetur; quod non ſolum apud Perſas ſed etiam apud Romanos uſuveniſſe docet Ovidius eo verſu, quem CAP VI. recitavimus.

Ipſe tene diſtenta ſuis Vmbracula virgis

De Graecis teſtatur ſcurrilis jocus Ariſtophanis in Equitibus. *Act. V. Scena II.*

Τα δ' ὦτα γάρ σῦ, νὴ Δί, ἐξεπετάννυτο
Ὥσπερ σκιάδιον, καὶ πάλιν ξυνήγετο.
At per Jovem aures expandebantur tuae,
Et complicabantur quaſi quoddam Vmbraculum.

Quae res quum ita ſe habeat, nihil loci relictum eſt ſententiae Montfauconii, qui Petaſum in acumen ſuperne deſinentem, vel oras habentem, quae umbram faciant, tuto pronunciat

a Fertur Johannem Dominicum Romanellum inter ceteros Pictores multa ex antiquorum monumentis in rem ſuam opportune derivaſſe. Sed plane incertum quodnam autographum ſibi propoſuerit imitandum, quum Vmbellae formam effinxit, & Thermutae Regis Pharaonis Filiae adpoſuit in Tabula. quae Pariſiis adſervatur, *aux vieu Louvre*; nullum extabat aevi illius monumentum, ex quo illa peti atque deſeribi poſſet. Norunt etiam, qui bonas artes colunt anaglypta ex marmorato, quibus exornantur paraſtatae Peryſtilii Vaticani (tempore PP. Leonis X. excitati, Raphaelo Vrbinate totius aedificii curam agente) pingendi, fingendique nobiliſſimos artifices Johannem de Vtino, & Polidorum *de Caravagio* ex antiquis Archetypis deſcripſiſſe. Longe diſſimilia, quae obviam ſunt dextrorſum petenti, quaeque Gregorius XIII. Pilis gypſo cruſtari juſſerat; nam etſi ejus rei praefectura data fuerit Chriſtophoro Roncallio, vulgo *Pomarancio il Giovine*, fictores is adhibuit plaſticae rationis ignaros, & graphidis imperitos, aut qui feſtinato, & indiligenter operi perficiendo manum admoverunt. Hinc quamvis inibi Cupidinem Vmbellam geſtantem ſaepius adverterim, non ex antiquo exemplari operis ſpeciem deformatam judico.

b *Loc. cit. cap. I.*

ciat eſſe Graecorum *τὸ σκιάδιον*, vel *τὴν σκιάδικην* Anacreontis [a]. Putat ipſe ſatis firmo praeſidio defendi, & ad verba Alberici provocat, qui in *Imaginibus Deorum* Mercurii Galerum Vmbellam vocat. Sed jam demonſtravimus CAP. V. & VI. hoc tegumenti genus Pileos Vmbelliferos, non Vmbracula proprie vereque appellari. Quare ſunt haec duo diſtinguenda; in quo reprehendendi videntur Solerius, & Raynaudus [b], qui dum multa de *Pileo*, ceteriſque capitis tegminibus congererent, pauca diſcrete, & electe digeſſerunt.

Sed mores gentium vita inſtitutiſque barbararum conſideranti mihi, nunc recitanda viſa ſunt, quae de Cantabris ac Vectonibus leguntur apud Strabonem. Narrat ille apud incultas illas nationes mulieres conſueviſſe monilia ferrea collo circumdare, & a fronte protenſum Vmbraculum, quod attrahant cum velint, vel retrahant defendendo Soli; alias comas in altum erigere, illaſque baculo obvolvere ad umbram faciendam. *Τῆς δὲ βαρβαρικῆς ἰδέας καὶ τὸν τῶν γυναικῶν ἐνίων κόσμον θείη τις ἄν, ὃν εἴρηκεν Ἀρτεμίδωρος. ὅπου μὲν γὰρ περιτραχήλια σιδηρᾶ φορεῖν αὐτάς φησιν, ἔχοντα κόρακας καμπτομένους ὑπὲρ κορυφῆς, καὶ προσπίπτοντας πρὸ τοῦ μετώπου πολὺ, κατὰ τούτων δὲ τῶν κοράκων ὅτε βούλονται, κατασπᾶν τὸ κάλυμμα, ὥστε ἐμπετασθὲν, σκιάδιον τῷ ποσώπῳ παρέχειν, καὶ νομίζειν κόσμον. ὅπου δὲ τυμπάνιον περικεῖσθαι, πρὸς μὲν τῷ ἰνίῳ περιφερὲς, καὶ σφίγγον τὴν κεφαλὴν μέχρι τῶν παρωτίδων, εἰς ὕψος δὲ καὶ πλάτος ἐξυπτιασμένον κατ᾽ ὀλίγον. ἄλλας δὲ τὰ προκόμια ψιλοῦν ἐπὶ τοσοῦτον, ὥστ᾽ ἀποστίλβειν τοῦ μετώπου μᾶλλον. τὰς δ᾽ ὅσον ποδιαῖον τὸ ὕψος ἐπιθεμένας στυλίσκον, περιπλέκειν αὐτῷ τὴν χαίτην, εἶτα καλύπτρᾳ μελαίνῃ περιστέλλειν.* *Barbaricae formae eſt etiam ornatus quarumdam mulierum, quem Artemidorus retulit. Alicubi enim collo appenſa, & conligata geſtare monilia ferrea, quae corvos habeant ſupra verticem procul reflexos, & prominentes longe ante frontem; ſuper quibus corvis, quoties lubet, velum demittant, quod panſum faciem obumbret, atque hoc illas ornatus loco etiam uſurpare: alicubi tympanulum eas geſtare, quod ad occiput ſit rotundum, caputque uſque ad auriculas* con-

a *In Suplement. Tom.* III. *pag.* LXXII.
b *Anſelmus Solerius de Pileo Amſtelod.* 1671. *Theophilus Raynaudus de capitis integumentis. Inter ejus opera Tom.* XI. *Lugdun.* 1665.

conſtringat, indeque deorſum paullatim in altitudinem & latitudinem producatur: alias frontis partes, quae ad comam pertinent ita deglabrare, ut magis ipſa fronte niteant: alias columellam pedis longitudine capiti adhibere, eique crines circumplectere tum nigro velo circumdare [a]. Abs Ibericorum moribus eorumque perridiculis Vmbellis ad Romanos reverto. Equidem non uno ſemper modo hi Vmbram parabant, ſed pro ut loci temporiſque opportunitas illis obveniebat. Linteis quandoque utebantur columnis, longuriis, arboribus alligatis, quod non obſcure indicat illud Varronis de R. R. *Prope aream faciunt Vmbracula, quo ſecedant homines in aeſtu tempore meridiano* [b]. Cujus moris documentum exhibet Tabula x. Picturarum Veterum a Bellorio editarum. Viſitur ibi Templum Apollinis, cujus area ampliſſimo linteo inumbratur [c]. Aliquando tentoria & Vmbracula ex veſtibus confecta tradit Tibullus [d].

Tunc operata Deo pubes diſcumbet in herba
Arboris antiquae, qua levis umbra cadet.
Aut e veſte ſua tendent Vmbracula ſertis
Vincta, coronatus ſtabit & ipſe Calix.

Jam de materia, qua conficiebantur antiquis temporibus Vmbellae, ſi quis a me petat quid ſentiam? primum cum Plinio dico foliis Palmae bifidatis, intextiſque; ita enim ſcriptum reliquit. *Folia cultrato mucrone lateribus in ſe bifidatis bella primum demonſtravere gemina; nunc ad funes vitiliumque nexus, & capitum levia Vmbracula finduntur* [e]. Sed haec ruſtica & agreſtia Vmbracula fuiſſe puto: ceterum quis ſibi non perſuadeat Romanos, qui tantopere elegantes, lauti, in luxum effuſi erant, Vmbellas etiam holoſericas, bombycinas, purpureas habuiſſe? Num qui funes *blatta, & ſerico, & cocco intortas* [f] parabant; qui *exemplo*

a *Lib.* III. *Rerum Geographicarum ex recenſione Iſaaci Caſaubonii* 1587. *interprete Xylandro.*

b *Lib.* I. *cap.* LI. *Edit. Durdrecth.*

c Montfauconius in ſuo illo indigeſto, inordinatoque promptuario Villam eſſe cenſuit. *Antiq. Explic. Tom.* III. *parte* I. *Tab.* LXV. *pag.* 132. Etiam Triclinia velis inumbrare mos erat; ſed num id facerent veteres, ut liberius ſcortarentur, hiſque umbraculis Venerem occultarent, non definio, etſi fidenter affirmatum videam a Laurentio. *Varia Sacra Gentil. cap.* XIV.

d *Lib.* II. *Eleg.* V. *Varior.*

e *Lib.* XIII. *cap.* IV. *de Palma.*

f *Lamprid. in Heliogabal. Edit. Lugd. Batav.* 1671.

plo Caligulae retibus aureis piſcabantur [a]; qui *tecta ebore, & auro fulgentia* exſtrui curabant [b], Vmbraculis gramineis contenti? Praeterquam quod Vmbellas auro contextas recenſent Ovidius, & Claudianus, quorum carmina attulimus CAP. VI. Quapropter Vmbellis acu pictis, Phrygio opere laboratis, Indoque ebore ornatis Romanos quandoque uſos eſſe, amplae eorum ſortunae atque copiae, ingentes divitiae, rerumque omnium abundantia, ſumptus effuſiſſimi non perſuadent modo, ſed perſpicue convincunt.

Exiſtit hoc loco quaeſtio ſubdifficilis, quid ſibi velit Juvenalis, quidve in animo conſtituerit quum Vmbellam *Viridem* appellat. Is ad Naevolum, Cinaedum ſubſannans, cui tamquam mulierculae mittebantur dona a draucis, ſic accinit:

> *En cui Tu Viridem Vmbellam, cui Succina mittas*
> *Grandia, natalis quoties redit, aut madidum ver*
> *Recipit* [c].

Ac primo deridenda, & ad ſummam uſque inſcitiam inepta mihi videtur ea interpretatio, quam memini in vetuſto Codice legiſſe. Extat ille Ceſenae in Bibliotheca, quam Vrbis illius Dynaſta Malateſta Novellus, publicae utilitati communique commodo ſtudens, condidit, dedicavitque. *Plut.* XXII. *Siniſtrorſum Num.* II. Codex ſcriptus eſt Saeculo XIII. exeunte, hancque praeſefert inſcriptionem: *Magiſtri Omniboni Commentaria in Juvenalem*, qui ea verba *Viridem Vmbellam* in hunc interpretatus eſt modum. *Vmbella praeciosus lapis viridis coloris* *. Vnde hanc deprompſerit narrationem vix auſim divinare. Certum eſt apud Gemmarum Scriptores Vmbellam haud recenſeri; imo in univerſa Lithographia vocabulum non reperiri, ſponſor acceſſit homo, cui naturae contemplatio, rerumque naturalium obſervatio diu, noctuque in ſtudio eſt. Neque ſentio cum Kippingio, qui ex noſtrorum temporum moribus mentem Juvenalis ſe aſſequi putat. *Viridem ideſt viridi colore ſuperlitam*,

 ut eo

a *Eutrop. in Nerone cap.* VII. XIV. *Edit. Havercamp. Lugdun. Batav.* 1729.

b *Cic. Paradox.*

c *Satyra* IX. *Pariſ.* 1613.

* Dictionis barbarie, ſcripturaeque forma convictus nihil animi pendeo hominem hunc totum diverſum ab *Omnibono Vicetino*, cognomento *Leoniceno*, veterum Auctorum interprete erudito.

ut eo firmior ejus uſus eſſet, perinde ut hodie Vmbellas virides hujuſmodi per itinera ſecum ferunt Itali & Poloni Magnates, ad baculos applicatas, ut baculorum ope explicari, & contrahi poſſint [a]. Neutrum illi concedo, ſcilicet viridem colorem firmius prae ceteris panno linteo haerere, & Italos ac Polonos ſemper, aut plerumque, virides Vmbellas per itinera ferre ſolere; nam conſtans ſententia apud eos, qui Sandracam operibus ſuperinducunt, alios eſſe colores, qui tenacius linteis inhaereſcant: ac proſtant quotidie in officinis Vmbellae colore livido, thalaſſico, luteo, ſubnigro illitae, & verſi colores. Vt igitur cogitatione dilucide comprehendi poſſit horum verborum ſignificatio, & ut omnes Juvenalis ſenſus ea in re cognitos habeamus, alio animum intendere fas eſt, & abs Romana hiſtoria interpretatio accerſenda.

Romae itaque quum Circenſes populo darentur, in varias factiones dividebantur, qui ſpectacula, vel currus agitatione, vel ludo alio praebebant, quique aſſidentes, a partibus hujus vel illius ſtabant factionis. Eae quatuor erant ab eo, quo factionarii induebantur colore, cognominatae. Quae quidem conſuetudo, uſque ad Imperatorum Orientalium manavit aetatem [b]. Colores quadrifaria diviſione, quae quatuor anni tempeſtates ſignaret, diſtinguebantur. *Praſinus* virenti Verno; *Roſeus* Aeſtati flammeae; *Albus* pruinoſo Autumno, *Venetus* nubilae Hyemi dicatus. Non opus eſt pluribus verbis facere longius, quod eſt, ut credo, notiſſimum. Quoniam vero, qui in circo ſpectantes, & ſubſellia tenentes ſuae factionis colore inter ſeſe diſcernebantur, videtur Juvenalem alloqui hominem, qui *Praſinae* eſſet factionis, ideoque Viridem Vmbellam mittendam proponat. Atque haec interpretatio multo fit verior, ſi mente advertamus, qua aetate vita viveret Juvenalis, quo-

a *Roman.* Antiquit. *lib.* IV. *cap.* V. *Lugdun. Batav* 1713.

b Corippus *lib.* I. *Juſtini*. *V. M.* cum notis Ritterſuſii & Ruizii Altorfii 1743.

Et fecere duas ſtudia in contraria partes,
Ut ſunt Æſtivis Brumalia Frigora flammis.
Nam Viridis vernis campus ceu concolor herbis,
Pinguis oliva comis, luxu nemus omne vireſcit,
Æſtatis roſeus, rubra ſic veſte refulgens,
Ut nonnulla rubent ardenti poma colore,
Autumni Venetus ferrugine dives & oſtro
Maturas uvas, maturas ſignat olivas,
Æquiparans candore nives, hyemiſque pruinam,
Albicolor viridi ſocia conjungitur urna.

quove tempore ſcripſerit. Varias & diſcrepantes eſſe ſententias, nos minime fugit. Lipſius [a] contendit pleraque illum ſcripſiſſe Trajani imperio, imo Hadriani; quem ſequutus eſt Dodwellus in *Annalibus Quintilianeis*. Fabricius vero [b] magnam tribuit probabilitatem eorum opinioni, qui autumant Poetam inter mortales degiſſe imperio Domitiani. At quae afferuntur argumenta ad fidem faciendam, non tanti eſſe videntur, ut ab antiquorum ſententia nos jubeant recedere, ab iis nimirum, qui cum veteri Scholiaſte cenſent Caligulae & Neronis aevo, vel paullo poſt, vixiſſe Juvenalem. Jam vero cui exploratum perſpicuumque non eſt Caligulam atque Neronem *Praſinae* factioni penitus deditos fuiſſe? De Caligula quidem Dio: *ἰσχυρῶς γὰρ τῷ τὴν Βατραχίδα ἐνδύνοντι, καὶ διὰ τοῦτ' ἀπὸ τοῦ χρώματος τῷ πρασίνῳ καλουμένῳ προσέκειτο*. *Bene animatus erat in eum, qui veſtimentum viride induebat, qui & a colore Praſinus dicebatur* [c]. De Nerone autem Xiphilinus *ὁ Νέρων ἡρματήλασε τήν τε στολὴν πρασινον ἐνδεδυμενος*. *Nero agitabat indutus veſtem viridem* [d]. Hinc plebecula, quanta Romae erat, ut Imperatoribus aſſentaretur, in eo colore quaſi inſaniebat; quapropter Poeta, etſi aliquando large mordax Auguſtorum, plebiſque vitia carperet, hoc loco, auribus Imperatorum blandiri, populoque morem gerere cupiens, colorem viridem, qui tanti habebatur, laudat, atque commemorat: quod & alia Satyra ipſe met innuit [e].

Totam hodie Romam Circus capit, & fragor aurem
Percutit, eventum viridis, quo colligo panni.

CA-

a *Epiſtolarum lib.*v. *quaeſt.*xx. *edit.*II. *Antuerp.*1632.

b *Biblioth. Latina tom.*I.

c *Dio lib.*LIX. *Pariſ.*1623.

d *In Ner. ſive lib.*VI.

e *Satyr.*XI. Quod ſi animum in hoc obfirmes ſerius vixiſſe Poetam, nil vetat quin conſuetudo, & in *Praſinos* propenſio diu multumque perduraverit; quos enim vulgus aliquando imbibit mores, eos longiſſime retinet. Addito huc, quod Helagabalus, & Verus, qui tardius imperium tenuere, teſtibus Xiphilino, Lampridio, atque Capitolino, hunc colorem perdite adamarunt.

CAPVT NONVM.

De Chriſtiano Vmbellae uſu. Vmbella, qua Graecorum Presbyteri, & Diaconi utebantur, teſte Simeone Theſſalonicenſi. Apallarea in Templis Chriſtianorum ſuſpenſa. Vmbraculum a Sergio PP. in Baſilica Salvatoris appoſitum. Dono miſſum Pippino Regi a Paullo I. Item Alexandro III. & Federico I. Imp. ab Anconitanis oblatum. Iaſpis Epiſcopum referens equo vectum, ſervo Vmbellifero comitante, dilucidatur. Summa BENEDICTI XIV. in antiquitatibus Chriſtianis cognitio, & mira accuratio. De Flabellorum uſu in Graeca ac Latina Liturgia perbrevis obſervatio.

HAEC indoctorum animis offuſa caligo eſt, ut ſaepe mirentur nos tantum operae, ac temporis in his ſtudiis ponere, ex quibus putant illi, nullum Religioni incrementum accedere, nihilque ex iis confici ad Chriſtianum populum erudiendum. At ſermones ejuſmodi diſſeminare, hominum eſt parum conſiderate loquentium, atque in maximis rebus errantium. Quis enim eſt, cui non perſpicua ſint illa, quae pluribus verbis commemorantur ab immortali Baronio, qui antiquis Chriſtianorum moribus patefaciendis, aut Eccleſiae diſciplinae conſtabiliendae, monumentis marmore, & aere ſcalptis ſapienter uſus eſt? Quid enumerem viros plane ſummos, ac ſingulares Thomaſium, Ciampinium, Mabillonium, Noriſium, Blanchinium, Mamachium, alioſque, quorum attenta eruditarum Antiquitatum meditatio Chriſtianis ritibus, ac Dogmatibus tantum contulit firmamentum, tantumque ſplendorem? Nullus ferme eſt qui Eccleſiaſticae Hiſtoriae illuſtrandae curam impenderit, quin in hiſce monumentis maxima praeſidia, atque adjumenta invenerit, ſive ad origines expiſcandas, ſive ad Chronologiam reſtituendam, ſive ad hoſtes Catholici nominis refutandos. Quare ſtudia haec qui vituperant, haud ſane intelligo, quid nam ſit, quod laudandum putent. Sed longiores forte ſumus, quam neceſſe eſt; jam ad inſtituta pergamus. Ordior autem ab eo, quod Simeon Theſſalonicenſis Archiep. in libro de

Sa-

Sacramento Ordinis a Cl. Morino ex Codice Bibliothecae Vaticanae edito ſcribit de Graecorum Praesbyteris, & Diaconis. *Τοίνυν οἱ Διάκονοι καὶ Ἱερεῖς ὅμοια ἱματίοις ἄνωθεν ἐνδύονται ἀμφία, καὶ ἐπὶ κεφαλῆς τὰ σκιάδια, καὶ λοιπὰ συνήθη φορέματα πάντα σταυρὸν ἐκτυποῦντα, ὡς καὶ αὐτὸ τὸ σκιάδιον. Igitur Diaconi & Sacerdotes veſtimenta induunt his imatiis ſuperne ſimilia, & Vmbellas in capite ceteraque geſtari ſolita, omnia Crucis figuram exprimentia, ut & ipſa Vmbella* [a] Haec tamen Vmbracula nihil aliud eſſe, quam Pilei genus aliquanto latioris, & Cruce inſigniti, quo viri Sacris faciundis addicti utebantur, liquet apertiſſime; neque de ejuſmodi Sciadio pluribus diſputare, eſt nobis in hac oratione propoſitum.

Propiora huic argumento ſunt *Apallarea* in Templis Chriſtianorum ſuſpenſa, quae primitus ſoli arcendo nimiaeque luci prohibendae invecta creduntur. Dicta ſunt etiam *Appellaria*, & *Aplaria*; atque ſic nuncupari aſſerit Bulengerus vel *ἀπὸ τοῦ ἡλίου*, vel ab *ἥλη*, quae vox lucem ſignificat [b]. Nam etſi Templa tunc eſſent obſcuriora quam noſtra aetate, ea omnia ab Altari removenda ſollicite curabant, quæ intentum ſacerdotis animum vel perturbare poſſent, dum ſacris operam daret, remque divinam faceret [c]. In modum cochleae fuiſſe efformatam ſcribit Du-Cange [d]; vereor tamen ne pro more ſuo nimium tribuat vocis originationi, atque etymologiae: quamquam nullum ſuppetit ſchema, quo rem definiam, nam quae conſpicienda protulit Ciampinius [e], recentiora ſunt. Altaribus, maximeque Arae principi ſuperne incumbebat *Aplare*, niſi vice ipſius fungeretur machina illa faſtigiata, quam, graeca voce, *Ciborium* [f] nominamus,

a *De ſacris Ordin. Pariſiis* 1655.

b *De Templis lib.* III. *cap.* XIX. *Apellaria*, *ſeu Apallarea*.

c Veteres Chriſtiani diu aſſueti in Cryptis, ſacelliſque ſubterraneis ſacra pertractare, Feneſtras ſacris ædibus perpaucas admodum indiderunt. Firmata ſubinde Eccleſiae pace Templa ædificarunt luminoſa. Documento eſt S. Paulinus Nolanus, qui quum tenebricoſam Baſilicam in Pincis a S. Damaſo excitatam in ſplendidiorem formam redegiſſet, de eo magnifico opere gloriabatur.

Qua fuerant vetera & nova nunc extare videatur.
Nam ſteterant vaſto deformibus agmine pilis:
Nunc meliore datis eadem vice fulta columnis.
Et ſpatii coepere & luminis incrementum.
Natal. X. *Edit. Muratorii Veronae* 1736.

d *In Gloſſario* v. *Appellaria. Pariſ.* 1733.

e *De ſacris Aedificiis a Conſtantin. conſtruct. Romae* 1693.

f V. ΕΥΧΟΛΟΓΙΟΝ Jacobi Goar. *Venetiis* 1730. Si Bingamo fidendum, vocem hanc perperam interpretati ſunt recentiores librorum Ritualium ſcriptores nonnulli. Verum *Du-Freſnius antiquitus fuiſſe oſtendit VMBRACV-*

LVM

mus ; quod etiam per hoc tempus faciendum monent libri Rituales [a]. Neque id tam munditiei cauſſa, quam Divini Numinis praeſentiae declarandae, indicandique dominatus. Eam ob rem Pontifici ac Regibus ultro permiſſum legimus. Sergius Papa, cui ſacrorum caeremoniae imprimis cordi fuiſſe videntur, ut eſt apud Anaſtaſium Bibliothecarium, in Baſilica Salvatoris *poſuit in abſide ſuper ſedem Apellariam argenteam penſantem libras centum viginti* [b]. Itemque Paullus primus vix ſummi ſacerdotii honore auctus, in epiſtola ſecunda ad Pippinum Regem data; in qua accuſat Deſiderium Langobardorum Regem, quod promiſſas Eccleſiae Romanae Civitates non reſtituat, oratque ut opem ferat, illumque ad has reddendas adigat; munera aliquot dono mittens, ita eum affatur. *Pro verae Benedictionis cauſſa direximus vobis Appallaream, unam ſpatham ligatam in gemmis cum baltheo ſuo, annulum habentem hyacinthum, ſtoracinum pallium &c.* [c] Nonnulla, quae de Vmbraculi uſu (vulgo *Bal-*

LVM quoddam altius eductum & totam ſacram menſam contegens. Hoc in forma Turriculae erectum quatuor columnis ad Altaris cornua exſurgentibus incumbebat .... Suprema Ciborii pars formam Spherae referebat. Bingam. Orig. & Antiq. Eccleſ. tom. III. *lib.* VIII. *cap.* VI. §. XVIII. Arcae interiori horum Vmbraculorum quandoque penicillo ſuper inducitur, vel acu pingitur Columbae ſpecies; at unde mos ſit profectus, ignorata plerumque res eſt. Indocti in ea ſunt opinione Spiritus Sancti ſymbolum apponi, ut ille praeſto ſit hominibus rem divinam operaturis. Verum aliam prorſus eſſe originem admonuit Lazarus Bocquillot *Traite Hiſtor. de la Liturgie. Pariſ.* 1701. quod hic adnotaſſe haud erit ſupervacaneum. Sacra Euchariſtiae repoſitoria fuere antiquitus etiam ad inſtar *Columbae*, prout legere eſt in Conciliis Conſtantinopolitano ſub Menna Anno DXXXVI., & Nicaeno II. An. DCCLXXXVII. Similiter de Perpetuo Epiſcopo Turonenſi habetur apud D' Acherium (*Spicileg. tom.* III. *p.* 303.) Amalario Presbytero legaſſe *Columbam ad Repoſitorium*. Quæ quidem columbae, ſive aureae, ſive argenteae ſub tholo Ciborii ſuſpenſae dependebant. Sed quum hujus generis repoſitoria in uſu eſſe deſierint, ne iſtius coſuetudinis omnis memoria interiret, Vmbraculis, quæ Ciboris ſucceſſere, Columbae inſculpi, vel pingi coeperunt.

a *Super altare appendatur Vmbraculum quod Baldachinum vocant, cooperiens altare ... quo non erit opus ubi adeſt Ciborium.* A Piſcara Caſtaldus *Praxis Caeremoniarum lib.* II. *ſection.* II. *Neap* 1625. De duplici Vmbraculo altero ſuper altare aut Epiſcopi ſedem appendendo, altero ſupra Pontificem in publicis ſupplicationibus geſtando, multa erudite ſcripſit I. Catalanus in *Caeremoniali Epiſcoporum tom.* I. *cap.* XIV. *Romae* 1744.

b Anaſtaſius *de vit. Pontificum Romanorum. Edit. Blanchinii. Tom* IV. *Romae* 1735. Hoc quidem conceſſum omnibus Epiſcopis in ſignum celſitudinis ac poteſtatis, ut adnotat Mauricius de Alzedo *de Excellentia Epiſcopalis dignitatis. Lugduni* 1630. De Cathedra Epiſcoporum non ſolum gradibus elevata, ſed velo etiam adornata conſule eumdem Cl. Catalanum *Pontificale Roman. Prolegom. cap.* V. *tom.* I. *Romae* 1738.

c Codicem Carolinum complectentem epiſtolas Pontificum Gregorii III., Zachariae, Stephani II., Pauli I., Stephani III., Hadriani &c. ad Carolum Martellum, Pippinum, Carolomannum, & Carolum Magnum, a Sebaſtiano Tengnagelio Caeſareae Bibliothecae Praefecto accepit Jacobus Gretſerus, qui illum in lucem edidit Ingolſtadii 1613., referente Petro Lambecio *lib.* II. *Biblioth. Caeſar. cap.* V. *pag.* 322. Epiſtola Paulli I., de qua ſermo eſt, legitur etiam apud Labbeum *tom.* VIII. *collect. Conciliorum edit. Venet.*

Baldachino) intra Templi ambitum in quaeſtionem veniunt, libens ſuperſedeo diſputare[a]. Verum eidem prorſus uſui, cui in ſacris aedibus Apallarea dedicata fuere, extra illas Umbellae deſtinabantur. Hinc in Chriſtianorum ſupplicationibus aliquando deferendas adnotat Martene de Antiquis Eccleſiae Ritibus[b]. Hinc viri principes, quo majore honorificentia in publicum prodeant, privilegio geſtandae Vmbellae decorati. Praeclare huc faciunt verba Andreae Danduli in Chronico, ubi PP. Alexandrum III, pace compoſita cum Federico I, Venetiis Romam revertentem deſcribit. *Poſtea die decima ſexta Octobris Dux paratis decem Galeis, juxta condictum, recedentem Papam, & aſſumptum Ravennae Imperatorem, ſociat uſque Anconam. Anconitani vero duas* VMBRELLAS *praeſentant, unam Papae, Imperatori alteram. Tunc ſummus Pontifex ait: deferatur tertia Duci Venetiarum, cui merito congruit, qui nos ab aeſtu turbationis liberans, in refrigerio pacis poſuit: quod bene* VMBRELLA *ſignificat. In cujus rei memoriam Duces Venetiarum volumus in ſuis ſollemnitatibus uti*[c].

Praeſtantiſſimum denique mihi ſors obtulit monumentum, quo noſtra omnis diſputatio aptiſſimum habeat exitum. Dum vix ratione animoque luſtrarem ea, quae de Vmbellis in unum colligi poſſent, illuſtris Fr. Victorius Ord. S. Stephani Commendator, idemque veterum omnium elegantiarum cultor atque aeſtimator eximius, dono mihi dedit perbenigne ectypon jaſpidis antiqui ex ſulphure fuſo apteque coagmentato, quod adhuc apud me eſt. Imaginem refert Epiſcopi ſacrificalibus veſtibus

net. 1729. Lectionem ita reſtituimus: *dreximus vobis Appallaream, unam ſpatham &c.* nec ſecuri ſumus Gretſerum, aut Labbeum, qui omnia verba indiſtincte copulantes, noſtro judicio, effecerunt, ut nulla ineſſet iis apta ſignificatio.

a V. Barboſam *de Offic. & Poteſtat. Epiſcopi. Allegat.* XLII. *parte* III. Catalanum *loc. cit. Synodicum Beneventanum Cardinal Urſini* 1723. *Meratum in adnot. ad Gavantum.* Hi omnes ex Conſtitutione Clementis VIII. an. 1603. & S. C. Decretis docent quæ ſint Epiſcoporum jura hac in re, quidve Dynaſtis vetitum &c.

b *De antiquis Eccleſiæ Ritibus lib.* I. *par.* II. *ord.* XXIX. ex Rituali Ambroſiano Caeſaris Montii. Edit. Rotomagi 1700. cui conſonant Rituale Petri Rodulphi Aeſii 1596. Verum de ſacro Vmbellæ uſu providentius omnia præſcripſerat egregia virtute conſpicuus Pontifex Carolus Borromaeus. Vid. *Acta Eccleſiæ Mediolanenſis. Actor. parte* IV. *Inſtruct. Viſit. Infirmorum; Inſtruct. ſupellectil. Eccleſ. tom.* I. *Edit. Lugduni.* 1682.

c *Danduli Chronicon. lib.* X. *p.* XXXV. apud Muratorium *Rer. Italicar. Scriptor. tom.* XII *Mediolan.* 1728.

ſtibus induti, equo vecti, ſervo Vmbellifero comitante, & Crucigero praeeunte. Litterae aliquot in area diviſim ſcalptae ſunt, ut videre eſt in ſchemate, quod hic iterum apponi peropportunum viſum eſt.



Exemplar alterum Gemmae pene ſimilis ſubinde Florentia miſit Ph. Baro Stoſchius, deque interpretatione nos humaniter per epiſtolas compellavit [a]. Opus medii aevi eſſe monet aperte ſcalpturae ratio; nihilominus magni pendendum nemo eſt, qui non animadvertat. Verum quid de eo expreſſe ac tuto ſit pronunciandum, non ita in promptu eſt, ut inveſtigatione non indigeat. Facile tamen affirmaverim pertinere ad IOANNEM III. Epiſcopum Papienſem, qui anno DCCCLXXXIV. Guidoni fuit ſuffectus, diuque illum Pontificatum obtinuit [b], atque in hanc ſententiam me primum impulit Carolus Sigonius, qui Berengarii I. geſta enarrans ſic loquitur. *Cupiebat Berengarius Pa-*

a Sunt hæc Cl. Stoſchii verba in Epiſtola ad me data. *Mi dò l' onore di accluderle l' impronta di un monumento antico in paſta di vetro, che io conſervo nella mia raccolta, eſſendo queſto l' unico, che io mi ritrovi riguardante le ombrelle, oltre quello, che io le mandai altra volta. Rappreſenta queſto un Veſcovo a cavallo veſtito degli abiti Pontificali, preceduto dal Crocifero, e ſeguitato da altro, che gli porta l' ombrello. Non ho mai potuto intendere il ſignificato delle lettere, che in eſſo ſi veggono; e però coſa certa, che queſto è lavoro del baſſo Impero, ed inſieme antico in genere di monumenti Criſtiani. Se a ſorte ella ne ritrova la ſpiegazione, mi farà coſa grata di comunicarmela. Firenze 8. Marzo 1749.*

b Nempe uſque ad Annum DCCCCXXIV.

Papiam, ut qua Regni ſedes erat, ſupra reliquas Civitates efferre. Itaque quoniam Eccleſiam Metropolitana afficere dignitate non poterat, jus atque inſignia novo Epiſcopo conquiſivit; atque ut Anaſtaſius Pontifex ei jus indulgeret adhibendae VMBELLAE *, equo albo vehendi, Crucis praeferendae &c.* [a] Ab uno Sigonio id acceperunt Baronius [b], Vghellus [c], Ciaconius [d], qui omnes id ipſum perhibuere. Neque dubito, quin Joannis ingentia merita in cauſſa eſſe poſſent quo fidentius Berengarius ea privilegia exquireret, ac Romanus Pontifex lubens ea concederet. Sane tanta erat ille rerum laudabiliter geſtarum commendatione praeclarus, ut Hadrianus III, accitu Imperatoris, Roma digrediens, Galliamque petens, Johannem relinqueret *ut Miſſum Caroli* (Craſſi) *Excellentiſſimi Imperatoris pro tuitione Vrbis*, quemadmodum ſcribit Guillelmus Bibliothecarius in vita Stephani V. [e] Multis aliis praeterea gradibus officiorum erga Chriſtianam rempublicam ad hoc tam illuſtre nomen aſcendit. Quare Luitprandus levita Ticinenſis ejus mortem ex animo complorans, quae miſero fatalique eo bello accidit, quo Hungari, Berengario defuncto, & Rodulfo ab Italia abſente, Papiam divexarunt, atque incenderunt, ait:

Praeſul in urbe ſua hac moritur, ſanctuſque Sacerdos,
Nomine, qui proprio bonus eſt, dictuſque Joannes [f].

Igitur quia gravitate, virtute, conſtantia adeo excellebat, & honorificentiſſimo Pontificis decreto, tantam dignitatem erat adeptus, puto Ticinenſes nomini ac memoriae ipſius devotos, privilegia illi irrogata Gemmis etiam, quae omnium manibus teruntur, exſculpi juſſiſſe. Qua in interpretatione conjecturam vero ſimillimam mihi blandior aſſecutum eſſe dum ſejunctas illas litteras confero, atque in unum alligare inſtituo.

 Quid

a *De Regno Italiae lib.* VI. *ad an.* 911. *Edit. Bononiae* 1580., *& Mediolani* 1732. *cum notis varior.*

b *An. Eccleſ. Ad an.* 910. *tom.* XV. *Edit. Luc.* 1744.

c *Italia Sacra in Epiſcop. Papienſ. Edit. Romanae.*

d *Hiſtoria Pontific. Rom. in Anaſtaſio III. tom.* I. *Romae* 1677.

e V. *Pagium in* Critic. *Baron. Edit. Luc. ad Annum* DCCCLXXXV. De Miſſis eorumque officio. V. *Antiquitat. medii Aevi Murator. tom.* II. *diſſert.* IX.

f *Hiſtoriarum lib.* III. *cap.* I. *apud Muratorium. Rer. Ital. Script. tom.* II. *& Antuerpiae* 1640.

Quid quaeſo efficitur, niſi hoc unum nomen JANNIN. III [a]? Vernaculo quidem idiomate, pro ut ea ferebant tempora, inſcriptum tanti Epiſcopi nomen viſitur; at quis neſcit quemadmodum rudibus, barbariciſque iis ſaeculis hominum nomina inflecterentur, nedum in familiari ſermone, ſed in Actis publicis, atque inſcriptionibus? Plena eſt exemplorum Italica antiquitas medii aevi univerſa, quae ſi hic percenſerem, actum plane agerem. Eccui non audita ea nomina *Jani*, *Janetti*, *Janotti*, *Gianni*, *Jannini*, *Zanni*, *Zaneti*, *Zannoti*, quorum mentio in chartis Donationum, aut conceſſionum &c. poſt Barbaros in Italiam invectos? Qua de re ipſa inſcriptio infimae latinitatis, & Johannis aetati apprime conſentiens, argumento eſt, nos de toto hujus Jaſpidis ſchemmate haud male eſſe divinatos. Quamquam haud mihi eſt obſcurum eſſe aliquos, qui patrii decoris plus aequo ſolliciti, hæc privilegia Epiſcopi Ticinenſis altius repetant, quam ab ipſo PP. Anaſtaſio: in quo tamen, quia incerta, & aliquando ſibi pugnantia ſcribant, rem minime dubiam diſputando faciunt [b]. Nullus erit proinde, qui ter Beatiſſimi Papaė D. N. BENEDICTI XIV. ſapientiam non admiretur, imo, verius dicam,

a Ne quidpiam diſſimulem, fateor non omnia me eſſe aſſecutum, quae de praeſtantiſſima hac Gemma forent dicenda. Cl. Victorius, pro ea, qua in me eſt benevolentia, praeter Ectypon Iaſpidis, delineationem calamo exaratam miſit alterius, ut puto, Gemmae, quam edidit egregio illo libro: *Il Fiorino d' oro Firenze* 1738. In ea praeter litteras aliquot ſejunctas in area Gemmae, in infima ipſius ora addita haec inſcriptio eſt. AMEANI. Quid ſibi velit hoc verbum, conjectura nulla proſpicere potui; quare ſatius duxi nihil interpretari, quam inepta, & falſa ariolando.

b De Privilegiis, quibus ajunt Hormiſdam cohoneſtaſſe Papienſes Antiſtites diſputationem habere, hoc mea nullam in partem refert. Ceterum ea privilegia multis dubia & obſcura ſunt. Apud quem amabo Hormiſdae litterae αὐτόγραφαι reperiuntur? *Ab antiquis Hiſtoricis traditum* reſpondet Spelta *pag.* 627. Balzala ad Platinam, & Sabellicum mittit. Romualdus a S. Maria noviſſimus ſcriptor Papiae ſacrae *p.* 56. Saccum producit: Saccus autem de Papienſis Eccleſiae dignitate *in vetuſtis fragmentis temporum diuturnitate exeſis aliquando perlegiſſe* ait. Sed Euſtachius a Santo Ubaldo *de Metropoli Mediolanenſi ſectione* III. *cap.* 13. §. 332. *Mediolan.* 1699. merito poſtulare videtur, ut vel antiquos Hiſtoricos recitent, vel Bibliothecas, in quibus fragmenta illa deliteſcant. Quod ad Platinam, & Sabellicum ſpectat, ii in vita Hormiſdae, nec verbum unum habent. Ticinenſes dignitatem Eccleſiae ſuae tutantur teſtimonio Johannis PP. VIII., quem ajunt Hormiſdae Privilegia novis litteris obfirmaſſe. Sed Ughellius qui eas memorat in ambiguo eſt, num fidem adjungat hiſce litteris. Accedit inter omnes Johannis VIII. epiſtolas *apud Binium tom.* III. *p.* 2. haec privilegia non recenſeri. Triſtanus Calchus *hiſtoriae patriae lib.* VI. *cap.* 148. horum Privilegiorum auctorem ſtatuit Paſchalem PP. II. an. 1105. Quare de vera Privilegiorum Ticinenſis Eccleſiae Epocha non omnium una eſt mens. Nihil ego illi detractum volo, ſed ob ipſam ſcriptorum varietatem, atque inconſtantiam ſaepe animi in contrarias ſententias diſtrahuntur.

cam, qui accurationem, acerrimumque judicium in rebus litterariis non ſuſcipiat. Nam quum anno III. ſui Pontificatus inſigni diplomate decerneret Eccleſiae Papienſi jungendum perpetuo Archiepiſcopatum Amaſienſem, innumera propemodum ipſius privilegia latifundiis fortunis copulata comemorat, adprobatque; verum a quo profecta ſint, quove tempore inducta, ſcientiſſimus antiquitatum Eccleſiaſticarum Pontifex ſilentio cenſuit praetereundum [a].

Haec quum a me ea, qua poteram, cura ac diligentia ſint diſputata; finis huic Commentario aliquando conſtituatur. Unum fortaſſe inſtituta operis noſtri ratio poſtulare videbitur, ut quemadmodum Capite VII. poſtquam de Vmbellae geſtatione apud Ethnicos multa diximus, aliqua etiam de Flabellis recenſuimus; ita nunc, quia de Chriſtiano Vmbellae uſu plura retulimus, de Flabellis in Graecorum ac Latinorum liturgia nonnihil dicendo complectar. Sed haec ſplendide enucleateque diſſeruntur ab Eminentiſſimo Joh. Bona [b] a Goario [c] Suareſio [d] Georgio [e] Catalano [f] aliiſque. Quorſum igitur mihi de his iterum oratio ſuſcipienda? Colligam tamen de multis paucula, ut in cumulatiſſima tractatione quicquam potius affluat, quam abſit. Ac primo damnanda, obeloque fodienda nonnullorum dubitatio [g] de antiquo Flabellorum uſu. Hujus ritus originem perſcrutanti auctor locuples eſt Liturgia Jacobi, quam Clemens Primus Romanus Pontifex Conſtitutionum libris inſeruit. *δύο Διακόνοι ἐξ ἑκατέρον τῶν μερῶν τοῦ θυσιαστηρίου κατεχέτωσαν ἐξ ὑμέρων λεπτῶν ῥιπίδια, ἢ πτερῶν παῶνος, ἢ ὀθόνης ἂν ἐγχειμπτῶνται εἰς τὰ κύπελλα. Duo Diaconi ex utraque parte Altaris teneant e tenuibus pelliculis Flabella, aut alarum Pavonis, aut lintei, & ſeorſum repellant parva volitan-*

tia

a Litterae datae xv. Februarii 1743. *Vid. tom.* 1. *Bullarii* BENEDICTI XIV. *Romae* 1746.

b *Rerum Liturgicarum lib.* 1. *cap.* XXV. *Pariſiis* 1676.

c *Libro citat. in notis ad cap.* VIII.

d *Lib. relat. cap.* VII.

e *De Liturgia Romani Pontificis Rom.* 172.

f *In Pontificali ſuperius laudato.*

g Vetuſtiſſimam Flabellorum originem vindicat Sebaſtianus Paulius in libro *de Patena argentea Forocornelienſi S. Petri Chryſologi p.* 78. *& ſequent. Neapoli* 1745.

tia animalia , ne incidant in vaſa [a]. Cui quidem dicto fidem facit , quod ea tempeſtate interdum pluribus uti Calicibus opus fuerit , ſive Calice majori , & anſato ac ſcyphis minoribus , quo facilius a ſacratiſſimis myſteriorum Dei diſpenſatoribus Chriſti ſanguis plebi & laicis propinandus porrigeretur [b]. Flabellum equidem adhibitum altari , & geſtatum a Diacono dum rem divinam operatur Rom. Epiſcopus aevo Agapeti I. Papae Moſchus , ſeu Sophronius enarrat . Ab auctore Chronici Alexandrini inter ſacram ſupellectilem numerantur pretioſa Muſcaria , quae a Clericis relata traduntur in Sacrarium una cum diſcis , & Calicibus [c]. Quodque unum uſu Graecis venerat , id apud latinos etiam receptum fuiſſe , teſtata omnino res eſt . Ceterum adhibita haec ῥιπίδια ne dum ad exigenda animalcula a Calicibus Altari inlatis , ſed ad ea eliminanda a ſacerdotibus ſacra operaturis , argumento eſt pictura Codicis Barberinii [d], quam extremae hujus libri pagellae adornandae buxo ſcalptam adjecimus ; in qua praeter Acolythum , qui Presbytero Miſſae ſacrum facienti orbiculari Flabello ventilat , notatione digniſſima ſunt Penulae forma , & Calix velo coopertus dum Sacerdos , quaſi ingreſſus Sancta Sanctorum , cum Deo

a Similia reperies in Liturgiis S. Baſilii , & Johannis Chryſoſtomi . Apoſtolicas vero Liturgias , omnes ad unam rejicere tamquam ſubdititias viros doctos compertum mihi eſt . V. *Rivetum Critici ſacri lib.* 1. *cap.* III. *& tom.* II. *operum Theologicorum . Dupinium Diſſert. Praeliminari ad Biblia lib.* II. *cap.* VI. *Gulielmum Cave in Hiſtoria litteraria ſcriptor. Eccleſiaſticor. in* Jacobo. *Oudinum de ſcriptoribus Eccleſ. tom.* 1. *Ceillier. in Hiſtor. Generali Auctorum ſacrorum lib.* II. *c.* 1. *art.* 7. *tom.* 1. *Nourry in Apparatu ad Biblioth. maximam . PP. Tom.* 1. *Diſſert.* II. Ab hac tamen nota excipiunt plerique Liturgiam Jacobi . *Allatius Ep.* 1. *ad Nihuſium inſerta* Symmictis . *Bona R. L. lib.* 1. *Bellarmin. Labbeus de ſcrip. Eccleſ. in Jacobo* , qui tamen fatentur multum locupletatam ab extraneis ſcriptoribus . Ut ut ſit , liber antiquiſſimis accenſendus . Idem ſentias de Conſtitutionibus , quae etſi Apoſtolis abjudicandae , quarto Chriſti ſaeculo prodiiſſe creduntur. Adi Ceillier. *oper. laudat. tom.* III. *c.* XXXII. *Pariſ.* 1749. Sed his omnibus antepone ſapientiſſimum , ac ſupra fidem eruditum BENEDICTUM XIV. , cui in ſacris Antiquitatibus nihil non perſpectum exploratumque . *De Sacrificio Miſſæ ſect.* 1. *cap.* VII. §. II. *Patavii* 1745.

b De quo conſule doctiſſimum juxta ac piiſſimum Teatinum Scriptorem F. Berlendis *de oblationibus ad Altare* §. V. *pag.* 145. *tertiae editionis Venetiis* 1743.

c Praeter cauſſas *naturales* , quibus veteres impellebantur Flabellis adhibendis , *myſticas* etiam complures recenſent ſcriptores omnes , quos paullo ante commemoravimus .

d Codicem indicavit Simon Ballarinius Bibliothecae Barberinae Praefectus, vir doctiſſimus. Continet autem *collectas* , & antiquas ad Deum precationes in Synaxi recitandas . Fuit quondam Cardinalis Sanctorii ſcriptus initio ſaeculi XIII. ſignatus num. 1858.

Deo ſecreto loquitur . Adhuc haec erant fortaſſe dicenda : quamobrem , nihil eorum , quae hoc uno in argumento concludi , atque comprehendi poterant, me arbitror praetermiſiſſe .



EX COD. BIBLIOT. BARBERIN.

EXPLICIT COMMENTARIUS.

ADPROBATIO

DIſſertationem R. P. &c. PACIAUDI CLERICI REG. TEATINI omnigena eruditione refertam DE VMBELLIS, ac de earum antiquitate, ingenio, uſu attente perlegi juſſus a Reverendiſſimo P. Sac. Palat. Magiſtro: neque aliquid a Fide, moribuſve diſſonum reperi ſenſi autem, quanti ſit doctiſſimus Auctor, qui via parum adeo trita incedens, tam feliciter coeptum iter abſolvit. Quamobrem Auctori glorioſam, maximeque acceptam eruditis futuram publica luce donandam cenſeo.

Ex meo Domicilio in Civitate Leonina x. Calendas Martias M. DCCLII.

Cajetanus Cennius Vat. Baſil. Beneficiatus.

ERRATA SIC CORRIGITO

In Breviario Capitum

Προλ. lin. 4	*patritio*	*partitio*
Cap. v. lin. 29	*ſtatutis*	*ſtatuis*
Cap. IX. lin. 26	*Georgio*	*Sergio*
Pag. II. lin. 22	*devictum*	*devinctum*
Pag. III. not.	(*d*) pro (*a*) & (*c*) pro (*b*)	
Pag. VI. lin. 7	*Bacco*	*Baccho*
Ibidem lin. 25	*inquilinorum*	*Inquilinorum*
Pag. VII. lin. 20	*Atque*	*atque*
Ibidem lin. 29	*liberalia*	*Liberalia*
Pag. VIII. lin. 6	*conſecrare*	*conſectari*
Ibidem not. (*e*)	νυκτὶκατὰ	νυκτὶ κατὰ
Pag. IX. lin. 5	*indicata*	*indicta*
Ibidem lin. 9	*deferebat*	*deferret*
Pag. XI. lin. 20	*advolat. Cupido*	*advolat Cupido*
Pag. XIII. lin. 25	*ſtudebant*	*ſtudebat*
Pag. XXIV. lin. 12	*Miſteriorum*	*Myſteriorum*
Ibidem lin. 26	*rerum*	*regnum*
Pag. XXVII. lin. 10	ἑορτῶν	ἑορτῶν
Ibidem lin. 18	Σρίρωνος	Σκίρωνος
Pag. XXIX. lin. 6	*tradam*	*credam*
Ibidem lin. 14	*ſtatutis*	*ſtatuis*
Pag. XXXVI. not. (1)	ὅπωσ	ὅπως
Pag. XL. lin. 1	*comittere*	*committere*
Pag. XLIV. lin. 18	ἀυλητῶ	ἀυλητῶν
Pag. XLVIII. lin 8	*aſtruit*	*adſtruat*
Pag. LII. lin. 10.	*verſi colores*	*verſicolores*
Pag. LVII. not. l. 3	*ſecuri*	*ſecuti*
Pag LX. lin. 17. 18	*diſputando faciunt*	*diſputando, dubium faciunt*
Ibidem not. (*a*)	*ariolando*	*ariolando ſcribere.*
Pag. LXI. lin. 2	*ſuſcipiat*	*ſuſpiciat*

ECIAL 92-
B13124

[illegible]